10998/A
C II
18/

55350 (1)

ANDROPHILI ASCLEPIADEI LIBER,

IN QUO PAUCA EXPLICANTUR,
QUORUM SCITU
SANITAS
CONSERVARI
ET
VITA HOMINIS
AB
IGNORANTIA MEDICORUM
POTERIT ESSE SECURA.

Juxta Exemplar
NEOSTADII IN AUSTRIA.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ, 1748.

D. Luigi Langrandi

NIHIL TAM DIFFICILE EST, QUIN QUÆRENDO INVESTIGARI POSSIT. *Terent. Heaut. a. 4. ſc. 2. v. 8.*

SED MEDICI, QUI QUÆSTUI SERVIUNT LIBENTER AMPLECTUNTUR EA PRÆCEPTA, QUÆ SEDULITATEM NON EXIGUNT. *Celſ. lib. 3. cap. 4.*

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

CLARISSIMO

VIRO

G. VAN SWIETEN

FERDINANDUS

ECCLESIÆ

NEOSTADIENSIS

EPISCOPUS

S. P. D.

Si moleſtus ſim, aut temerarius tibi videar, quod hunc librum Medicum judicio tuo committam, tecum ipſe expoſtula, Vir clariſſime! Eam

quippe famam tibi apud eruditos omnes comparaſti, ut non modo luce publica dignum, ſed maxima etiam cum animi voluptate legendum fore cenſeant, quod a Te probatum eſſe intelligunt. Quare cum Author libri typis Neoſtadienſibus partum ſuum in lucem edere cupiat votiſne frui debeat, a nemine ac a te judicium acrius tutiuſve præſtolari poſſum. Mearum quidem partium eſt noſſe ſanam fidei & morum doctrinam, nec perlecto libro ab ea diſſonum quidpiam, aut ſuſpectum offendi. An vero cum præceptis artem Medicam ſpectantibus itemque conveniat? meum prorſus declino, tuum, Vir ſapientiſſime judicium avidiſſime exſpecto. Aſſume itaque, rogo iterum-

rumque rogo, hunc qualemcunque in te laborem, & me perenni gratitudinis vinculo obſtrictum habebis. Interea vale, & incolumitati Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ, quin Reipublicæ univerſæ æternum vive. Dabam Neoſtadii die 13. Junii 1747.

ILLUSTRISSIMO

PRÆSULI

NEOSTADIENSI

S. P. D.

G. *VAN SWIETEN.*

Evolvi, *cum ſic juſſeris, Illuſtriſſime Præſul, Tractatum Medicum*

typis

typis Neoſtadienſibus mandandum; & candide dicam, quid ſentiam.

Optimos auctores veteres, genuinos ſolidæ Medicinæ fontes familiares ſibi reddidiſſe videtur aſſidua lectione Eruditiſſimus Auctor, hinc jure ſperare licet, ut plures, incitati hoc exemplo, craſſam incipiant horrere ignorantiam, & noxia humano generi præjudicia deponere. Quod utinam fiat ocyus! Vale diu, Illuſtriſſime Præſul, & me habe totum tuum.

Vindobonæ 19. Junii 1747.

ANDRO-

ANDROPHILUS ASCLEPIADEUS

LEGENTI.

Medicos, qui quæſtui tantummodo ſerviunt, corpora tametſi natura firma curatura reddere juncea; imo acerba pleraque demetere Orco, manifeſte deprehenderet quilibet paulo ad inveſtigandum curioſior. Inſcitia tamen peccent, an quia quæſtus gratia animum ad malas adducant partes, jure ſi in eos animadverteretur, humano generi melius foret conſultum. Id votum eſt: ſed quæ fieri poſſunt ipſe mecum reputans pauca cum legentibus communicare decrevi, quibus excitati ſaltem animos advertant ad cavendum. Ingenioſis vero potiſſimum & bonis hoc munuſculum concinnavi, quod num ſit ap-

*tum futurum ad bene de multis promerendum, ipſe qui legis judex eſto. Operam, navitatem, animum in commune bonum tute ipſe æſtimato. Jam ætate provectus id unum ad hunc diem in lucro deputavi: parcendo * impenſæ meam meorumque ſecundam valetudinem poſſe jucunde tueri, adverſam arcere, ingruentem forte morbum tuto, facilique negotio depellere. Corpus denique pro ſui conſtitutione ad ſperabilem ſenectutem ſecurum perducere. Horum volebam te non eſſe neſcium. Vale.*

LIBER

* Multos præterea Medici componere ſuccos
Aſſuerunt: Pretioſa tamen cum veneris emptum,
Falleris, fruſtraque immenſa nomiſmata fundes.
Quin age, & in tenui certam cognoſce ſalutem. *Q. ſer. ſam. de ventr. moll.*

LIBER

Incipit primo

ANDROPHILI ASCLEPIADEI

In quo pauca explicantur,

Quorum ſcitu ſanitas conſervari, & vita hominis ab ignorantia Medicorum poterit eſſe ſecura.

CAP. I.

Quodnam ſit officium Medici juxta ſententiam ASCLEPIADIS.

IMperitum popularium Medicorum vulgus, illa quia duntaxat mavult diſcere, quæ ſedulitatem non exigunt, omnes ſibi ignotas medendi vias nimium feſtinanter improbat. Neque mirum; ideo enim vulgi judicium raro cum intelligentium judicio congruit, quia plerique non conſiderant, multas eſſe

cum morborum, tum curationum arcanas cauſas, ad quas non niſi paucorum poteſt pervenire curioſitas. Verum quam ingenioſa, quam ſedula, quam diuturna curioſitate opus eſt, antequam ſapientiæ & Medicinæ ſtudioſus aliquis, morborum rerumque naturam diligentiſſime contemplatus anquirat & paret ea, quæ ad * tuto, celeriter, jucunde curandum ſint apta! Primus † ASCLEPIA-

* ASCLEPIADES officium eſſe Medici dixit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet. *Celſ. lib. 3. cap.* 4.

† ASCLEPIADES patriam habuit Cio, quæ Pruſias deinde nuncupata non procul à Bithynia: quare & Cianeus & Pruſienſis & Bithynus ab antiquis appellatus. *Vid. Strab. lib. XII. & XIII.* Plinius narrat illum in Bithynia natum, atque tempore Pompeji Magni Romæ floruiſſe, amicum Lucii Craſſi fruſtra magnis pollicitationibus a Mithrid. Rege deſideratum. *Cic. 1. de orat.* ipſius præſtantiam in dicendo laudat. Senex admodum bona continenter uſus valetudine lapſu ſcalarum

PIADES tale officium eſſe Medici reliquis in poſterum prodidit, uſuque id poſſe fieri ſæculo ſummis ingeniis, maximiſque ſtudiis celebratiſſimo, in Urbe totius orbis terrarum principe, multa experientia feliciter confirmavit.

CAP. II.

De varia curandi ratione apud veteres & novos medicæ artis Profeſſores.

ANtiqui celeberrimi medicæ artis Profeſſores, ſic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diverſas curandi vias proceſſerint. Quod cum ſæculi quoque noſtri Medicorum clariſſimi moliantur, medendique ratione varia licet, ægros tamen ad eandem ſanitatem perducant, eo magis in aperto eſt, nulla perpetua præcepta medicinalem artem recipere. Imo quia experientia ipſa in medendo aliquoties fallax, * medi- ** Celſ. lib. 1. præf. & lib. 2. c. 6.*

larum interiit, fidemque promiſſi præſtitit: Dixerat enim *ſe nunquam ægrotum futurum.*

cina eſt ars conjecturalis, cujus ratio conjecturæ talis, ut cum ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat. Non itaque mirum, ſi humana imbecillitas in tanta varietate corporum aliquando decipitur; crebrius vero perque multo plures ægros medicina proderit, ſi quæ medendi cauſa reperta ſunt, a medico morbi, † rerumque naturam contemplante caute adhibeantur. Quod ſi temere aliquis morbi rerumque naturæ contemplationem ſibi vendicat, nec ſatis comprehendit, periculoſas & ancipites curationes frequentius exhibendo, plures exitio dabit. Tunc autem artis non erit crimen ſed Profeſſoris.

CAP.

† Quamquam igitur multa ſint ad ipſas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant excitando artificis ingenium. Itaque iſta quoque naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit. *Celſ. lib. 1. præf.*

CAP. III.

Ex ſapientiæ Profeſſoribus multi medicinam excoluerunt.

MUltos ex ſapientiæ Profeſſoribus, medicæ artis peritos fuiſſe, neminem eruditorum latet. Quin imo, ſcientiam quia medicinæ ſolum illi tenent, qui diverſas qualitates rebus à natura tributas penitus pernoſcunt, * Pythagoras, Empedocles, & Democritus ſcientiſſimi rerum naturæ inveſtigatores medici clariſſimi extiterunt. Medicamenta illos paraſſe, quibus & morbi & ſenectus arcerentur; corpora ſine ſpiritu integra incorruptaque triginta diebus ſervaſſe: mortuos etiam ad vitam, † utut res ſe habuerit, re-

* *Diog. Laert. lib. VIII. & lib. IX.*

† De Empedocle Heraclides apud Diog. Laert. Lib. VIII. narrat, maximam ex eo gloriam conſequutum eſſe, quod mulierem defunctam vivam dimiſerit. Sed *Corn. Celſ. lib. 11. cap. 6.* Quin etiam vir jure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem vitæ certas notas

vocaſſe memoriæ proditum eſt. Primus Hippocrates Cous * Democriti, ex quorundam ſententia, diſcipulus medicam diſciplinam ab ſtudio ſapientiæ ſeparavit. Plures memoria digni illum ſequuti, qui etiam, prout cuique experimenta reſponderant, diverſas medendi vias traxerunt. Eorum celeberrimi fuere Dio-

notas eſſe, propoſuit. Quæ notæ in incerto poſitæ, non bonos ſed imperitos medicos decipiunt. Quod Aſclepiades ſciens funeri obvius inclamavit *eum vivere qui efferebatur.*

* Refert autem Athenodorus in VIII. deambulationum lib. cum ad Democritum Hippocrates veniſſet juſſiſſe *eum ſibi lac afferre*, inſpectoque lacte dixiſſe *& capellæ primi partus & nigræ eſſe.* Unde maximum diligentiæ ſuæ miraculum Hippocrati feciſſe. Sed & puellam Hippocratis comitem primo die viſam ſalutaſſe, *ſalve virgo:* poſtridie vero, *ſalve mulier.* Et revera puella fuerat illa nocte vitiata. *Laert. Diog. lib. XI.*

Diocles Caryſtius, deinde Praxagoras & Chryſippus, tum Herophilus & Eraſiſtratus. Serapion poſt illos medicinalem artem omnem in uſu & experimentis poſuit. Idem Apollonius & Glaucias cum Heraclide Tarentino aliisque non paucis profeſſi, uſum tantum ſibi artis medicæ vendicabant. Superiores vero clariſſimi medicinæ ſtudioſi rerum quoque naturæ cognitionem perſequentes, tanquam ſine ea trunca & debilis medicina eſſet, altius quædam in curandis morbis moliebantur. Multi deinceps alii utriusque ſententiæ non mediocres viri curandi arte innotuerunt. Eorum tamen nullus quicquam præter ea quæ acceperat, auſus eſt agitare usque ad tempora, jure inter omnes medicæ artis profeſſores, excellentis ASCLEPIADIS. Ipſe nihil veritus ab ea curandi ratione, quam multi celebres viri ſervarunt declinare, methodum omnem magna ex parte mutavit. Primus officium eſſe medici dixit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet.

rei. † Vomitum rejecit, purgatio- nes expulit * medicamenta ſuſtulit. ** Vinum, frictionem & geſtationem tanquam communia utiliſſima auxi- lia maxime commendavit. Con- tendere cœpit morbos creari ſi †† manantia corpuſcula per inviſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudunt. (*) Febre etiam ipſa præcipue ſe ad remedium uti profeſſus eſt. Unde apparet inſenſibilem perſpirandi in cor-

* Celſ. l. 3. c. 4.

†† Cel. in præf. l. 1.

(*) Celſ. l. 3. c. 4.

† Rejectum eſſe ab Aſclepiade vomi- tum in eo volumine, quod de *tuen- da Sanitate* compoſuit, video: ne- que reprehendo &c. Idem purga- tiones quoque eodem volumine expulit. Et ſunt hæ pernicioſæ ſi nimis valentibus medicamentis fi- unt. *Celſ. lib. 1. c. 3.*

** De frictione verò & geſtatione adeo multa Aſclepiades, tanquam inven- tor ejus poſuit in eo volumine, quod *Communium Auxiliorum* in- ſcripſit, ut cum trium tantum face- ret mentionem, hujus & vini & ge- ſtationis, tamen maximam partem in hoc conſumpſerit. *Celſ. lib. 2. c. 14.*

corpore vim diligenter curaſſe; victusque rationem, quæ multum admodum in omnibus malis corporis proficit, potiſſime ad medendum adhibuiſſe.

CAP. IV.

De Medico eligendo.

ITaque ergo nemini ſapientiæ ſtudioſo, medicæque artis perito fides derogari oportet, etiamſi cum pleriſque non conſentiat: ſedulo quippe in omnibus ſemper cogitabit quid maxime conveniat, quidque compreſſum corpus reſolvat, & quid ſolutum teneat a ratione trahet, occurrens ſubinde, ſi mixtum vitium eſt, primo vehementiori malo: Nec uſu quidquam explorabit, niſi ad id ante rationali conjectura ducatur. Attamen, cum par ſit ſcientia, utilior medicus amicus eſt, quam extraneus: extraneus enim communia tantum intuetur, quia propria non novit, & proprietatis notitia ſæpe neceſſario requiritur, cum non

eadem

eadem omnibus etiam in ſimilibus caſibus ſubveniant. Medicamenta in quibusdam paucis aliter ac in cæteris nonnunquam agunt. In iis igitur communia noviſſe non proderit, ſed propriorum inſpectio. Multa præterea bonum medicum oportet, non ignorare, quæ imperiti prorſus negligunt, quæque extraneus non tam accurate nec conjectura, nec percunctando aſſequetur: Æger ſcilicet quam vitam vixerit, laborioſam, an quietam, cum luxu, an cum frugalitate: ſæpius ſoleat infirmari an raro, adverſa valetudo, ipſi quando contingit, vehemens, an levis, brevis an longa. Quæ quidem omnia Medicus amicus longa frequenti conſuetudine tutius habet explorata, prout etiam nervorum & ſtomachi conſtitutionem in quovis morbo præcipua ſolertia, non oſcitanter, nec populari quadam trutina examinandam. Illud etiam ſcire convenit, raro quemquam non aliquam partem corporis imbecillam habere, cui ſemper ſuccurrendum

eſt,

eſt, habita obſervatione, ut quod vel corporis, vel loci, ſeu ſtudii ratio detrahit, cura reſtituat. Ego igitur propterea illum plane ſolum, qui potis eſt hæc ſcire & præſtare, medicum bonum judico. Neque enim ille intempeſtive aut magis quam neceſſe eſt medicamentis utetur: ſed perinde faciet omnia, ac ſi naturæ primum conatibus obſecundando, morbi impetum mollire aggrediatur; deinde ut inclinato morbo eidem naturæ ad refectionem ſit adjumento, quia repugnante natura nihil medicina proficit. Id autem unum ex Hippocratis, Aſclepiadis, Celſi, Plinii aliorumque celeberrimorum Virorum ſententia, perpetuum eſt: Initia morborum primum famem, & ſitim deſiderare; neque ullam rem magis adjuvare laborantem, quam tempeſtivam abſtinentiam.

Quanta ergo ſolertia cavendum & vitandum maxime, ne morborum curationes ſuſcipiant ii, qui protinus ut veniunt vix quidquam percunctati, manu carpo admota, vomitu ſta-

tim,

tim, vel dejectionibus, aut miſſione ſanguinis ancipites adeo & periculoſas medendi rationes in omni caſu adhibent! Neque enim materia ſuperans in quovis morbo lædit; imo nec veſtigio temporis ſciri poteſt, quali potiſſimum evacuatione natura egeat. * Venis forte celerioribus imperiti credunt? fallaciſſimæ rei. Calori? æque fallax. Uno deinde non contenti medicamento ne intervallo quidem facto, aliud atque aliud de narthecio promunt inexhauſto, ſæpe contraria exhibentes. Coctio interea læditur, ingeſta ſtomachus ejicit cruda, vomitu tamen & purgationibus nihiloſecius a medico ſtrenue pugnatur. Æger non alitur, additaque nimia extenuatione ex cura, tabes invadit miſerum. Naturaliter ſemper aliquibus decedentibus, & nullis in eorum locum ſubeuntibus ſumma macies oritur. Natura viribus deſtituta fruſtra pro ſui conſervatione aliquid ad ſuppurationem ſpectans molitur. Quidquid malæ corruptæque materiæ coit

* Celſ. l. 3. c. 6.

ſup-

ſuppuratoriis medicamentis matureſcere nequit, nec ferro juvat reſcindi, quia ſanguis torpens non niſi ſaniem omni corpori moleſtam creat. Plures tunc advocantur medici ad concilium. Cavetur tamen ſedulo, ne interponatur aliquis ſimulandi ac diſſimulandi neſcius, qui ſciat, quantum temeritas a ſapientia diſſideat. Ideo pacificis ſermonibus fere ſemper diſquiruntur omnia. Una voce & conſenſu approbantur peracta, guttulæque tantum adduntur interibi dum cubans guttatim contabeſcit. Meliora pollicendo aliquot menſibus poſt ad balnea ire jubetur: Ille vero parere non poteſt, quia intra paucos dies miſere moritur. Quaſillis plenis reſtant adhuc voranda catapotia, multiplices ampullæ hauriendæ ſuperſunt. Medici, pharmacopolæ, pollinctores una hæredes aggrediuntur. Jure mercedem æque omnes pro benefactis poſtulant, quando potius jure animadvertendum eſſet in illos, qui, ut Philo Judæus olim conquerebatur, tabem

tabem & morbos longos inducunt, nec non naturæ ſolutionem perverſis curationibus accelerant impune.

CAP. V.

Quæ veræ ſint rerum & medicæ artis notiones.

VErum & falſum propterea quod in varia obſcureque nimis implicita rerum permiſtione difficulter ac ægre poſſunt internoſci, nulla tutior ſuppetit ratio diſcernendi verum, quam veras notiones multiplicare ut falſæ minuantur. Idcirco ſiquis verum quantum poteſt in omnibus rimatur, is profecto contra falſum pro viribus nititur. At quoniam in homine primum ſenſus explicantur, longoque intervallo, poſt inde ratio: ſenſu ideo quisque noſtrum antea, quam mente utitur, animumque ad res ſenſus permoventes adjicimus neceſſario. Neque porro ex ulla rerum inquiſita & comperta cognitione certum capimus documentum, niſi ab extrinſecus oblata ſen-

ſenſuum impulſione ad mentem deferatur, ſubindeque rationis trutina examinata ſenſibus iterum, iterumque approbetur.

Rem ita plane ſe habere in iis maxime patet diſciplinis, quarum doctrina diſputationibus plerumque diſſentientibus latebroſa cum veritatis occultatione perpetuo trahitur diverſe. Medicæ vero artis abdita quæ ſuapte natura ſenſus fugiunt, a vulgari intelligentia remotiſſima; quantis in tenebris; & quam tetra in caligine jacerent, niſi experientia rite probatæ notionis lux aliqua accederet! Parvæ ſcintillæ ſparſæ in veterum libris, medicinæ Studioſis ad veritatem ratione inquirendam & ſenſibus confirmandam prælucebant, uſque dum * Sanctorius & † Har-

* Sanctorius ſanctor. Patavii medicinæ Profeſſor triginta annorum ſpatio ſolertiſſimo experientia contemplatus quantum corpus vivens occulte perſpiret, libellum utiliſſimum ſcripſit atque edidit Patavii an.

† Harvejus accenſam e ſcintillulis ardentem uterque facem ad perquiſitius inveſtigandum prætulerunt. Illorum quippe lumine clarente candido, humani corporis penetralia occultiſſima inſpicere, humorum curſum in gyrum perennem compulſum attingere, delecto judicio exhalationes, quæ ſenſum fugiunt, opera penſare, actiones denique vaſorum & fibrarum poſſumus luculenter dignoſcere. Itaque morborum & ſanitatis cauſas & ſedem, generatim ſaltem cum liceat ſenſu comprehendere, facilior perquirenti diligentius ad curationem aditus patet. Forſan & hæc olim claritas ASCLEPIADI affulſit, quo nullus poſt

an 1634. cujus titulus. Sanctorii Sanctor. de ſtatica medicina aphoriſmorum ſectiones ſeptem.

† Harvejus Anglus Patavii quinquennium in medica ſtudia impendit. Natus an. 1577. circulationem ſanguin s primus clare percepit, cæteriſque jam ſenex libro deſcripto publicam copiam fecit.

poſt hominum memoriam, glorioſius medicinam exercuiſſe videtur.

CAP. VI.

De ſanitate, quibusque magis in pretio ſit.

CORporis temperatio, cum ea congruunt inter ſe, e quibus conſtamus, ſanitas eſt: cum vero aliquid ſuperat, vel deficit, aut minus concordat, pro vitii coorti ratione levis aut gravior morbus ſubſequetur. Pretium tamen bonæ valetudinis non niſi ab ægrotantibus juſte æſtimatur: omnes enim boni magis intermiſſi, quam continui cupiditate accendimur, quantoque diutius abeſt, magis cupimus tanto. Perinde, ac ſi fruentis appetentia longa uſura langueſceret, intermiſſione autem vacuum aliquid hians ad expletionem, in animo dehiſceret. Ideo profecto languentes vehementius ſanitatem expetimus, quia commoda, quæ ſano homini congruunt, cavendo magis quam

 po-

potiundo ſentimus. Verum quandoquidem morbi tam crebro pretioſam ſanitatem intervertunt, pro corporis, aeris, ætatis conſtitutione cura adhiberi poteſt, ut vel nunquam aut certe rarius intercipiant, moleſte minus affligant, nec adeo longam ſecundæ valetudinis intercapedinem faciant.

CAP. VII.

Obſervationes neceſſariæ in ſanitate conſervanda.

QUi bene concoxit, is mane tuto poteſt ſurgere, labore vel ſtudio exerceri, propoſitum ſibi opus qualecunque confidenter aggredi: meliusque longe in poſterum propriæ valetudini proſpiciet, ſi moderata commoda exercitatio cibum antecedet. Commode vero exercent clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio. Si quis autem a ſomno crudum ructat, modo id ſine præcordiorum dolore, cyathum aquæ frigidæ ſorbillet & conquieſcat. A-

qua

qua porro frigida multa os fovere, niſi nimium frigus obſtet, utique ſanum eſt, prout frigidæ potio ſudanti ex labore pernicioſiſſima eſſe conſuevit. Fatigatus itaque aliquis ſi æſtuat, acetum ore recipiat & retineat; a fricatione dehinc levamen erit illi certum, cibo humido ſubſequente, & aqua vel potione probe diluta, quæ facilius urinam moveat. Id tamen perpetuo caveat unusquisque, ne poſt cibum ſtatim lucubrationi, negotio, aut labori ſe credat, verum quidem poſt concoctionem.

Nimis otioſa vita nemini prodeſt, quia ſenſim & ſine ſenſu labentibus deinde diebus corporis vires hebetat, atque adeo maturius reddit ſenectum. Sed neque immodica vehemens exercitatio utilis, abeſt enim a temperantia, quæ ſervata in omnibus tantam affert utilitatem. Verum ſiqua intemperantia ſubeſt, in potu minus erit noxia, quam in eſca; fluida namque mutari facile & concoqui, & egeri poſſunt. At ſi forte aliquis aliquando cibos inferciens

 varios

varios ſe ingurgitaverit, poculo aquæ frigidæ includat comeſa & nihil agat; quia * labor, æſtus, frigus repleta magis corpora ſolent affligere, quam inania. † Laborem tamen vitet, cui fames erit ob quamcumque cauſam toleranda. Nemo aliquid novi contra conſuetudinem in vitæ ratione inſtituat, etiamſi ad meliora convertatur, niſi paulatim aſſueſcat. Si alio transmigrandum, ex ſalubri loco in gravem prima hieme tutius fiet, ex gravi in ſalubrem prima æſtate.

Quum verò notæ quædam minitantur malum, atque adverſam inſtare

* Si quis interdiu ſe implevit, poſt cibum neque frigori, neque æſtui, neque labori ſe debet committere. Neque enim tam facile hæc inani corpore, quam repleto nocent. *Celſ. lib. 1. c. 2.*

† Ubi fames non oportet laborare. *Hipp aph. 11 16.* Item *Celſ. lib. 1. c. 2. in fine.* Si quibus de cauſis futura inedia eſt, labor omnis vitandus eſt.

ſtare valetudinem indicant, eæ graviter inter initia animadvertendæ ſunt, ne poſt deinde ſero nimis præcaveantur. Igitur cui a labore vel ſtudio caligant oculi, vel os amarum, aut venter perturbatur, jejunus dormiat: Quod ſi quies non penitus incommodum ſuſtulit etiam in poſterum diem ita ſe contineat, deinde ſurgat, lentaque ambulatione ante parcum & continentem cibum, ſe reficiet: At ſi frequens oſcitatio, ſpontaneæ laſſitudines, incertus ſomnus, mens pigrior, ſenſus tardior, concoctio deterior, fœtidiores dejectiones: ſi digiti liveſcunt, aut corpus inſolito colore pallet, vel rubore ſecus ac ſolet perfunditur: ſi frigore, aut calore inſolito, vel horrore identidem corripitur, omnium optima ſunt, quies & † abſtinentia.

 Utram-

† Plurimique falluntur dum ſe primo die protinus ſublaturos languorem aut exercitatione, aut balneo, aut coacta dejectione, aut vomitu, aut ſudationibus, aut vino ſperant: non

Utramque in principio adhiberi in omnibus caſibus oportere cenſeo, ut dempta ſine ullo periculo materia, impetus morbi frangatur. Id uno die interdum fieri ſatis eſt, interdum biduum continuare expedit, ſi terrentia ſigna permanent. Exiguus cibus ſumendus, aqua pura poſt abſtinentiam bibenda. Poſtero die vinum, deinde alternis diebus modo vinum, modo aqua donec res ſit in tuto, vitæque munia & ſanitatis ad conſuetudinem redeant. Si autem leviora morbi futuri indicia ſunt, ſatis erit vino tantum abſtinere; ſi paulo graviora carnes etiam cibo ſubtrahere, humida eſca, olere potiſſimum veſci. Vehementiores aliquanto notæ ſi timorem incutiunt, jejunus prorſum quieſcas bene tecto corpore, ſed non gravato pondere, ut bene & com-

non quod non interdum id incidat, aut non decipiat, ſed quod ſæpius fallat; ſolaque abſtinentia ſine ullo periculo medeatur. *Celſ. l. 3. c. 3.*

commode poſſit perſpirare. Quod ſi aliquis ita ſibi temperet, atque adverſæ valetudini occurrat tempeſtive, vix credo fieri poſſe, ut in morbum implicitus gravem diutius unquam ægrotet.

CAP. VIII.

De morbis generatim, deque bona & mala medendi ratione.

MUlta & varia morborum genera in hominum perniciem graſſari; nova imo alia atque inaudita cooriri, tumultuoſe doctrinarum ſuarum opes in vulgus erogare geſtientes non pauci fuſius narrant. Medicinæ libros qui mavult attingere nimis hercle longo ſatiabitur ludo. Quapropter hiſtorias morborum multiplices a veteribus, & novis memoria dignis accurate deſcriptas, quas innumerabilis propemodum multitudo confuſe aut barbare tranſcripſit (ne tædia capiam laboris improbi) commemorare prætermittam. Ingenioſis omnino, ut arbi-

tror ſatisfaciam potiſſimum, ſi quæ ipſe ſentio, candide quemadmodum ſoleo, breviter eloquar,

Attente poſteaquam diuque conſideraverim, num vita & ſanitas hominis motu interiore partium corporis cum proportione quadam virium mutua inter vaſa & humores in gyrum perpetuo compulſos contineantur: Mihi tandem videntur morborum alii certo quodam ſpatio ſine ullo artis adjumento ſponte tutiusque poſſe finiri, quia natura omnis vult eſſe, quoad fieri poteſt, conſervatrix ſui: alii autem inſanabiles, ad quos falſa ſpe ſine ſucceſſu remedium quæritur. Utrobique ergo, inutilem medicinam eſſe, dicendum? Imo nec quidquam pernicioſius illa curandi arte, quæ mercede cum ægroto paciſcitur, obſtricta lucro, quæſtui ſerviens. A tartarea tenebrica abſtractum plaga talem medendi modum, Hydra plane generatum eduxit avaritia. Quicquid aut intentionem animi, aut prudentiam cum ſedulitate quadam exigit,

exigit, protinus ejicitur. * Temere adaggerantur medicamenta, quibus fere plerumque ſtomachus læditur, ideo quia laborantem argento emun-

* Ex ſcriptis veterum medicorum facile eſt intelligere quam parce & caute medicamentis uterentur. Recentiorum celebratiſſimus Boerhaave *in præfatione libelli de materie medica*. „ Eſtis vero idonei „ vos teſtes, quanta circumſpe- „ ctione utar, quam ſæpe tædioſa „ fere ad faſtidium uſque minu- „ tiarum conſideratione odioſus „ ſim, priusquam vobis titulo me- „ dicamenti vel minimum quid „ laudare auſim. Item in *præf. aphor. de cogn. & curand. morbis*. „ Nec ſpecioſos medicamentorum „ titulos morbis addidi. Cur? „ Nihil arti exitiale magis novi: „ neque vero ipſe ullum cognoſco, „ quin ſolo tempeſtivo uſu tale „ fiat. „ Quare igitur vulgares medici in multitudine & varietate medicamentorum coacervata tantam ponunt fiduciam? Profecto hercle, avaritia, vel inſcitia peccant.

mungunt. Ecquis igitur talia dignoſcens obſcure ferat? ecquis diſſimulanter conticeſcat?

Illa vero medica diſciplina, divino tanquam inſtinctu, afflatuque paucis mortalium identidem infuſa magni facienda eſt, quæ docet: præcipuam boni medici artem eſſe, in omni morbo laborantis vires æſtimare, atque ex eo colligere, poſſit nec ne ſupereſſe quod vim morbi & curationis ſimul ſuſtineat. Id poſt inquiſitum & compertum totius corporis habitum intueri, ſeu quidam mali affectus poſſint intervenire: dehinc ad animum etiam reſpicere, quem ſecurum eſſe convenit curis, terroribusque remotis. Quia tamen pars ægra, ſi corpus univerſum vim ſuam habeat, facilius ſanatur, in id curam præcipue conferet, ut quoquo modo habeatur æger, viribus adhuc integris vivat; ita enim admota congrua curatione, momento reſtituitur. Poſt cautam igitur circumſpectionem, viresque carioſe proſpectas, medicus bonus primis

mis diebus curabit, ut bene * abſtineat æger. Quod ſi ſpatium affecturi mali corpus propter infirmitatem non poterit ſuſtinere, cibo maturius ex imbecilla materia dato, vel aqua aut olere, optimo velut utetur medicamento. Cum purgare oportebit, † facile id fieri molietur, cibos primum potionesque præbendo, qui ſimul & alant & ventrem molliant; iique ſi minus profecerint, vel alia neceſſitas urgeat, purgationem valentiorem in biduum potius diducet, ne vis omnis effuſa morbi & medicinæ poſſit ægrum præ-

* Initia morborum primum famem ſitimque deſiderant. *Celſ. l. 2. c. 16. & Hipp. de Oct. m. T. XV. n. 10. Item aph. 1. 8.*

† Corpora ubi quis purgare voluerit, facile fluentia reddere oportet. *Hipp. aph. 11. 9.* Idem *aph. 11. 51.* Multum & derepente evacuare, aut replete, aut calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocunque modo corpus movere periculoſum. Quod vero paulatim tutum.

præcipitare. Semper autem, niſi aperte naturæ niſus tendere videatur ſuperne, quæ in ſtomacho inteſtinis vel alibi credet eſſe noxia, ſtudebit inferne dejicere.

CAP. IX.

Sequuntur aliæ a bono medico adhibendæ obſervationes,

MEdicus ejusmodi ſanctis, naturæ commodiſſimis præceptis inſtitutus neque dubium eſt, quin ſanabiles morbos mature, tuto, facilique conatu depellat. Ille quippe ſapientiam nunquam cum temeritate commiſcebit, nec ad conſilium caſum admittet. Experientiſſimus earum rerum, quæ a natura involutæ ſunt, inveſtigator, gnavus, induſtrius, aſſiduus ab ægro non multum * recedet, aſſidensque diligen-

* Ex his autem intelligi poteſt, ab uno medico multos non poſſe curari: eumque, ſi artifex eſt, idoneum eſſe, qui non multum ab ægro recedit. Sed, qui quæſtui ſerviunt

ligenter inſpiciet quamdiu vires ſupererunt, quæ ne deficiant opportune conſulet. Ubi enim corpus magis imbecillum futurum eſſe proſpiciet, quam novæ acceſſionis impetum ferre poſſit, in remiſſione cibo ſubveniet idoneo, quia ſatius eſt principia cibi a decedente febre, quam reliquias ab incipiente excipi.

Si febris ardens extorret cubantem, initiorum cauſarumque cognitione fretus non terrebitur; imo probe ſciet, in corpore vivente motus omnes certis demenſos ſpatiis definite cieri: quumque elatio non poſſit ulterius protendi, fibras ad ſummum extenſas neceſſario remitti debere. Certe quidem niſi ab iis quæ rurſus ingeruntur, nova ſuccedant, queis venæ ſufflatæ nequeant ſatis in toto corpore perſpira-

ſerviunt, quoniam is major ex populo eſt, libenter amplectuntur ea præcepta, quæ ſedulitatem non exigunt; ut in hac ipſa re facile eſt enim &c. *Celſ. l. 2. c. 4.*

ſpirare. Quapropter ſi æger neceſſario cibandus eſt, eſca tenui prorſus id faciet & * humida, quæ † celerius & nutriat & egeratur. Cibum verò ſemper quam maxime ab acceſſione futura reducet. Neque quidquam niſi tempeſtive aggredietur; febris namque graviſſimæ deceſſum bene habebit cognitum poſt ſolerter proviſa & diligenter explorata principia, viresque ægrotantis identidem æſtimatas. Non itaque caſu, ſed certa quadam ratione vel abſtinentiam, vel cibum

* Victus humidus febricitantibus omnibus confert. *Hipp. aph.* 1. 16. *Celſ. l.* 3. *c.* 6. Cibus autem febricitantibus humidus eſt aptiſſimus, aut humori certo proximus: utique ex materia quam leviſſima; maximeque ſorbitio: eaque ſi magnæ febres fuerunt, quam tenuiſſima eſſe debet.

† Eorum quæ confertim & celeriter nutriunt, celeres etiam fiunt egeſtiones, *Hipp. aph.* 11. 18.

bum; * vinum, aut frictionem; † geſtationem, vel aliud quidpiam in ipſo quoque morbi impetu confidenter inſtituet. Febre etiam ipſa tanquam utique multis incommodis congrua medicina nonnunquam utetur? præſertim ſi, præter ardorem, nulli dolores, nullus præcordiorum tumor aut diſtentus.

Quando vero lentus morbus febribusque pertinax ſine acceſſione & remiſſione cum periculo futuræ tabis, diem ducendo de die locum non dabit curationi; ne ſpes convaleſcendi fruſtretur diutius infirmum cum nimio virium detrimento; magisque ſi faſtidium cibi urget, bonus medicus varios & ſuaves cibos jubebit apparari, ut illectus æger aliquid capiat. Deinde audebit calo-

 rem

* De Aſclepiade - deinde poſt febrem; ſicut illi mos erat adhuc calidis dare cibum & vinum. *Celſ. l. 3. c. 14.*

† Aſclepiades etiam in recenti, vehementique, præcipueque ardente febre; ad diſcutiendam eam geſtatione dixit utendum, *Celſ. l. 2. c. 15.*

rem & febrim intendet eo conſilio, ut cum magis corpus incaluerit, fiat initium novi motus incoctione & circulatione humorum, venæ perſpirent magis, torpor diſcutiatur: ſive acceſſio febrilis ardoris interveniat, ſubindeque remiſſio ſuccedat. Atque ita ſi id quod eſt curationem non recipit, poteſt recipere quod futurum eſt. Aſſidens aſſidue, diligenter inquirens, opportune materiam aut demet aut adjiciet, aut evocabit aut reprimet, aut refrigerabit aut calefaciet, ſimulque aut durabit aut molliet.

† In morbo denique indiciis omni-

† Hic meminiſſe juvat *Celſ. l. 5. c. 26.* in principio. „Deinde, ubi gravis „metus ſine certa tamen deſpera„tione eſt, indicare neceſſariis pe„riclitantis, in difficili rem eſſe: ne, „ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Sed „ut hæc prudenti viro conveni„unt, ſic rurſus hiſtrionis eſt, par„vam rem attollere, quo plus præ„ſtitiſſe videatur. Quam multi vero

omnibus certisque ſignis inſanabili comperto, ſpes ubi nulla, auxilium nullum rationali conjectura ſperandum occurrit; dolores mitigando, acerbitatem odioſi vaticinii prudenti ſermone leniendo, id unum experietur, ut ſerius, cumque minimo languentis cruciatu pars interior immortalis avolet, corporisque terrenæ compages diſſolvantur.

CAP. X.

Præcepta quædam firma, ſtabilia, natura coniuncta, quibus ſervatis unusquiſque ſecunda fruetur valetudine.

Principio generi animantium omni eſt a natura tributum, ſui conſervationem, expetere. Primus itaque animi noſtri appetitus eo ſpectat, ut ſalvi ſimus, & integri, ejus-

vero medicorum, & quam ſæpe faciunt hiſtrioniam, in omni fere curatione extrema primum pericula, deinde artis, quam non norunt, ſimplici popello miracula jactantes!

que vis quædam appetendi ingenita in vita & victu ſemet potiſſimum occupat; eo tamen inſtinctu incitata ut paucis & neceſſariis ſit contenta. Verum quia non ad uſus duntaxat vitæ, ſed ad perfruendas voluptates multa ferme ab omnibus ubivis gentium deſiderantur humanæ ſocietatis ratio ejusmodi eſt, ut veritatem, quæ pure & clare cæteroquin nitet, infuſcari aliquando, atque decolorari de induſtria oporteat, ne vulgi oculos offendat, atque a vita communi reſpuatur. Porro ſi quis ratione maxime pollens ad rationis regulam vellet omnia ſtricte nimis exigere, is profecto in moroſitatem inutilem æque ac odioſam incideret, præſertim quia mores quicunque recepti ſpeciem quandam honeſtatis præferunt, atque conſenſu multitudinis approbantur. Cupiens igitur præcepta quædam firma, ſtabilia, naturæ conjuncta tradere, quo facilius homines ſani multos bene valentes protrahant dies, a conſuetudine illos neutiquam abducere mihi

mihi propoſui, ſed, ut ſibi in aliquibus opportune temperent, admonere.

Sanus eſſe homo creditur, cujus corporis partes omnes vitæ munia & actiones homini proprias expedite cum alacritate & conſtantia quadam poſſunt implere, ita ut voluptas quædam cooriatur, quæ lætitiam, in animo ſuavemque jucunditatis commotionem in univerſo corpore excitet. Scire autem convenit, ejusmodi ſecundæ valetudinis habitum diutius duraturum, firma latera & lacertoſam juventam * falſo portendere, niſi temperantia retineatur, quæ in omnibus, concupitum adeptos, rationem, ut ſequamur, monet.

* Lucianus cenſet, victum tempera- ** Lucian. in Macrobiis.*

* Ergo ſi plenior aliquis & ſpecioſior & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet. Quæ quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque ultra progredi poſſunt, fere retro quaſi ruina quadam revolvuntur. *Celſ. l. 2. c. 3.* Idem *Hipp. aph. l. 3.*

peratum & agreſtem potiorem operam contuliſſe, ut quædam gentes ad ſummam ſenectutem vivere conſueſſent. Apud † Porphyrium Dicæarchus inquit: ſi redundantia prohibeantur, corporis viventis integræ atque diuturnæ ſanitati optime conſuli; ſupervacaneis enim labefactantur vires aut certe præpediuntur, quatenus in egerendis noxiis occupatæ, partium congruo nutrimento ſuppetitando deſunt. † Pythagoras ſuadere conabatur hominibus, ut faciliori victu viverent, iisque potiſſimum cibis uterentur, qui-

† *Porphyr. l. 4. de abſtin.*

† *Pythag. ap. Laert. Diog. lib. VIII.*

l. *3.* Boni habitus ad ſummum progreſſi periculoſi, ſi in extremo fuerint: non enim poſſunt in eodem manere, neque quieſcere. Cum vero non quieſcant neque ultra poſſint in melius proficere, reliquum igitur in deterius. Harum ergo cauſa bonum habitum ſolvere confert haud cunctanter, quo rurſus renutritionis principium ſumat corpus, neque confidentiæ ad extremum ducendæ, periculoſum enim.

quibus coquendis igne opus non eſſet : quippe quoniam ita ſanitatem corporis, & ingenii acumen acquiri contendebat. * Cicero arbitratus eſt, valetudinem ſuſtentari notitia ſui corporis, & obſervatione earum rerum, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe ; & continentia in victu omni atque cultu corporis tuendi cauſa. Quod ſi aliquis continenter moderata corporis exercitatione cibisque & potu temperanter utens, mentem præterea in rebus arduis ſervaret æquam, nec ſecus in proſperis ab inſolenti lætitia temperatam, illi nimirum bona valetudo contingeret abunde propter temperationem corporis, in quo omnia illud conſtituentia virium quadam mutua proportione perfecte congruerent inter ſe. Quin imo nullus alienus tam ſimilis, tam par illis populis Hyperboreis, de quibus Pindarus: † convivia dulcia curat gens foliis cincta recentibus quam non lethifer inficit morbus, non ſenium debilitat tremens.

* *Cic. 2. offic. circa finem.*

† *Pindarus Pythion. X.*

Ad hæc vero umbratiles medici omnis eruditionis expertes atque ignari, quos jam tæderet ignota ſibi audire, me interpellarent obloquentes: Quid hiſtoria, cognitioque veterum philoſophantium opinionum? quid Oratorum atque Poetarum evolutio ad medicam diſciplinam excolendam confert? Nempe idcirco ne nimium obſtrepant, neve ad ravim obgannientes faſtidium moveant **melle ſoporatam medicatis frugibus offam* „ objiciam.

* *Virg. Æneid. l. 6. v. 42.*

Sani quidem corporis ſigna complura ſunt. *Illud* † *integrum eſſe, licet ſcire, cum quotidie mane urina alba, dein rufa eſt.* „ Cum venter, ſolito interpoſito ſpatio, mollia per ſe excernit, levia & figurata.

† *Celſ. l. 1. c. 2. lin. XXVII. 6.*

Verum quia res quæ materia conſtant, omnes fluxæ ſunt, homo etiam qua parte corpus eſt, mutationi omni tempore ſubjacet. Dies intermiſſus unus cum fatigatione vel intemperantia, ſeu nox eum vigilia aut frigore interpoſita nimio ſanitatem non raro perturbat. Tum

igitur

igitur præſtat quædam obſervare ut caveatur, ne corpus alioquin ſanum a bonæ valetudinis habitu propter errata recedat, neve obnoxium ægrotationibus efficiatur.

CAP. XI.

Æquabiliter addere quæ a corpore continenter decedunt potiſſima ratio eſt conſervandæ ſanitatis.

PErſpicuum eſt, corpus vivens ex quo in lucem editum, aeris pondere æquabiliter undique premi, proptereaque nullo ſenſu pondus attingere. Quumque in ſtatu ſalubri perpetuo totum perſpiret, * infinita ferme ex eo corpuſcula manant per inviſibilia foramina, quæ

 cir-

* Lewenhockius probare contendit in ſpatio unius vulgaris grani ſabuli ſub ſquamulis cuticulæ corporis extimæ contineri centum viginti quinque millia numero vaſcula oblique patentia, quæ hiant & perſpirant. Id ſuputata ratione ſe comperiſſe affirmat.

circumvolantibus, non tamen ſine aliqua vi contentionis utrinque, commiſcentur. Quare corpus vivens ulla ſine intermiſſione pulſatur circumagitaturque atomorum incurſione ſempiterna. Imo eodem tempore & ſuſcipimur in lucem & per aſperam arteriam ſpiritum trahendo, reddendoque pulmonibus, motu humorum interiore, externoque aeris agimur circumfuſi. Fitque adeo motu & affrictu nunquam intermiſſo, continenter aliquid a corpore vivente neceſſario decedere, atque nova ſemper addi, deſtruatur & vivat. Proinde homo vel animal quodcunque vivens tamdiu perfecta expletaque omnibus ſuis numeris fruetur valetudine, quamdiu * juſta debitaque proportione abſcedent ab eo quæ ſuperant, & acce-

* *Sanctor. de ponder. aph. 1.* Si quanta & qualis oporteat quotidie fieret additio eorum quæ deficiunt & ablatio eorum quæ excedunt, ſanitas amiſſa recuperaretur, & præſens ſemper conſervaretur.

accedent neceſſaria. Quod ut facilius conſequatur quisquis valere & ſeneſcere cupit, ſæpius ipſe ſecum reputet: cibo, potione, & aere animantium vitam teneri; quibus ſi opportune utatur ac temperanter, moderata viribusque corporis commoda exercitatione interpoſita, portionem æquabilem ſemper addet ablatis; atque ita valide ſatis occurret irruenti quacunque de cauſa, adverſæ valetudini.

CAP. XII.

Glandularum in corpore vivente perſpirantium numerus humano captui infinitus.

AD extimam cutim, quæ reliquas omnes corporis partes complectitur, innumera patent a craſſiori ſubjecta cute foramina inviſibilia veteribus dicta. Sudore abſterſo guttulæ propemodum infinitæ in calefacto corpore celerrime ſubſilientes curioſos artifices impulerunt, ut ſenſu deprehenderent innu-

innumerabilem multitudinem foraminum diverſæ magnitudinis & figuræ, Ab eorundem latioribus pili, ſegmentis æquali ordine protenſis, pullulant: ab anguſtioribus multum quidem numero ſuperioribus, punctis velut minutiſſimis extima cutis perforatur. Horum tamen cuicunque * glandula ſubjacet, ex qua vaſculum ſudorem eliciens exurgit in exterioris cutis faciem deſinens. Omnis autem glandula † nervum & arteriam, ideoque & * venam certe ſibi propriam habet, humorem jugiter ſeponere properans in cutim extimam & ſubjectam humectandas. Qui porro humor ſenſus plerumque fugiens ad inſtar tenuiſſimi vaporis avolare conſueſcens, aura improviſo afflante frigidiore ſi coerceatur, cutim inæqualem & ſcabram, immiſſa tanquam tuberculorum illuvie protinus exaſperat: proque majore vel minore perſpirandi coercitione, atque † humoris qua-

* *Stennonius.*

† *Malpighius.*

* *Verbeyen.*

† Perſpirabile retentum fit acre: inde corpus ad calidas ægritudines

qualitate retenti, in corpore alioquin ſano varia ſuboriuntur incommoda.

CAP. XIII.

Pauca de Aere, Cibo, portione & motu.

T*Emperie cæli corpuſque animusque juvatur*,, hercules non inſcite amabiliſſimus * Poetarum quondam cecinit. Celſus verò, ut medicinæ peritiſſimum decet, fuſius nec minus eleganter docet, qualis aer bonæ valetudini magis vel minus, gradatim conveniat, inquiens,, † *ubi æqualitas eſt ſaluberrimi ſunt ſereni dies: meliores pluvii, quam tantum nebuloſi, nubilivi: optimeque hieme, qui omni vento vacant: æſtate quibus Favonii perflant.* ,, Ne itaque pigeat unumquemque ſanitatis amantem propriæ, Auctoris eximii libros nocturna verſare manu, verſare diurna, quo magis ab incurſu arceantur morbi, quæque mors atris

*Ovid. l. 12. de Ponto eleg. 7.

† Celſ. l. cl. 1. & Hipp. aph. III. 15.

præparatur. *Sanctor. de cibo & potu aph. 15.*

atris circumvolat alis. Sapienter Celſus ſi quisquam alius, nitide, utiliterque de re medica ſine ulla artis calumnia diſſerit. Varias celeberrimorum virorum opiniones candide refert, ſuamque ſententiam aliis prudentiſſime interſerit. Aere præſertim, cibo, potione motu congruenter uti, pro loci, ætatis, anni, corporis conſtitutione ſcienter admonet. Quare nec dubium, quin utile ab eo unusquisque ſibi capere poſſit documentum.

Verum quia in corporibus tam magnæ ſunt diſſimilitudines & varietates, difficillimum eſſet præcepta tradere ſingulis peculiaria, vel quorum obſervatio generatim omnibus æque poſſit prodeſſe. Quamobrem multa ex multis tum Latinis Medicæ artis ſcriptoribus excerpta compendifaciens, credo primum perquiſitius & diligentius curam adhibendam eſſe, ut corpus juſte perſpiret: deinde ut in omnibus

bus ſemper omne † nimium vitetur. Ita namque dilapſis opportune per omnes artus, nova æqua proportione ſuccedent: viresque nunquam nimio molimine gravatæ univerſo corpori, vitæque muneribus alacriter obeundis ſufficient: cocta, utilia parabunt & diſtribuent; cruda, ſupervacanea, nocitura aliquo modo expellent.

Sanitas in ſtatu perfecto motu & uſu conſumendo fluida, deterendo firma ſe ipſam ſenſim continenter deſtruit: ſed apta continua concoctione, corpore libere perſpirante facilius, temporique reparatur.

Falluntur vero plane qui putant, cibis vilioribus * fame, ſiti laboris atque

† Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam bonum eſt, quod naturæ modum excedat. *Hipp. aph.* *11. 4.* Item *aph. 11. 5.* Omne multum naturæ inimicum. Quod vero paulatim fit tutum eſt.

* Cibus valde paucus à ventre amplectitur. Inde non coquitur, non reſtaurat, non perſpirat. *Sanctor. de cibo & potu aph. 83.*

que fatigationis deſpicientia firmitatem corporis augeri, & ſanitatem diu duraturam confirmari. Prout enim * commoda & moderata exercitatione uſque ad initia ſudoris corpus ad juſte perſpirandum aptius redditur, ideoque longius protrahitur adoleſcentia; ita fatigatione, ſudorque nimio fibræ debilitantur, minutiſſima præſertim vaſa flacceſcunt minusque perſpirant. Quando autem incidit laboris neceſſitas, atque fatigatum te eſſe ſenſeris, cibum quidem humidum ſumas, & aquam

* Commode vero exercent clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio, atque hæc non utique plana commodior eſt: ſiquidem melius aſcenſus quoque & deſcenſus cum quadam varietate corpus moveat; niſi tamen id perquam imbecillum eſt. Melior autem eſt ſub divo quam in porticu: melior ſi caput patitur in ſole, quam in umbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quam quæ tecto ſubeſt: melior recta, quam flexuoſa. *Celſ. l. 1. cap. 2.*

aquam bibas, vel potionem certe dilutam, quæ potiſſimum urinam moveat. † Otioſe prorſus vivere inutile eſt: attamen ſi labores immodici aut vehementes exercitationes fuerint intermiſſæ, corpora eo modo repleta celerius affliguntur, ſeneſcunt, & ægrotant.

* Varium habere vitæ genus hominum ſanum maxime juvat: ſed frequenter ſe exercere convenit, & ſi quid ex conſuetudine mutare

† Bonæ valetudinis peſtis duplex: corpus ex toto tradere quieti; & comedere ante cibi præcedentis concoctionem. *Sanctor. de cibo & potu aph. 105.*

* Sanum hominem oportet varium habere vitæ genus: modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro: navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere. *Celſ. l. 1. c. 1.* Item *Boerhave de ſan. tuend. aph. 1028.* Sed ſenſim mutando ſæpe variare vitam quotidianam egregium auxilium eſt tuendæ ſanitati.

voluerit, * paulatim aſſueſcere. Poſt multum otium ſubitus labor, itemque poſt aſſiduos labores ſubitum otium, aut poſt violentam exercitationem † cibis expleri, periculoſum. Perpetuo ſapere ad genium minime prodeſt: verum cibus vel potus guſtui * jucundior etiam ſi paulo deterior, melioribus qui non adeo ſapiunt præponendus. Quocirca bonum erit non ſemper convivari, ſed interdum cibario pane veſci, cibarium vinum bibere. Poſt aliquam intemperantiam in potu nihil edendum, poſt ſatietatem nihil agendum. Pro ſiti & fame ſedenda natu-

* Quod vero paulatim fit tutum eſt: tum alias tum ſi quis ex altero ad alterum tranſeat. *Hipp. aph. II. 51.*

† Cibus a violento exercitio nocet, tum quia nonam plectitur, tum quia perſpirationem divertit. *Sanctor. de cibo & potu aph. 95.*

* Paulo deterior autem eligendus potius, quam meliores quidem ſed ingratiores. *Hipp. aph. II. 38.*

turæ appetentiæ ſatisfacere obſecundando licet, & * qualibet copia: neque enim naturalis inclinatio, ſed prava conſuetudo ab juſto ad nimium advocat.

Cruditatem, quam veteres celebratiſſimi medici omnes vehementer adeo horrebant, ſolertiſſime fugias, quia nunquam non lædit, prout concoctio corporis vitiis omnibus occurrit, atque in ſingulis ejusdem affectibus eſt neceſſaria. Si crudum itaque ructas poſtridie, ne te rurſus ingurgites; imo aquam bibas & conquieſcas, neque labori, neque negotio te credas. Item ſtatim a cibo nec animum intendas, neque ad lucubrandum mentem adjicias.

Eſca minime pinguis, olera, limpidior aqua pura epota firmant corpus. Vere & æſtate mollibus herbis hortenſiis aut agreſtibus utere

* Illa cibi copia eſt ingerenda, quam natura poteſt concoquere, digerere & perſpirare. *Sanctor. de cibo & potu aph. 30.*

largius, bibe dilutius : hieme plus comedas, meracius bibas. Autumno neque ſub divo dormias, & bene operiare.

Ex anni temporibus ver ſaluberrimum eſſe: proxime deinde ab hoc hiemem : periculoſiorem æſtatem : autumnum longe periculoſiſſimum, cum Hippocrate & Celſo nobiliſſimi omnes medicæ artis Profeſſores conſentiunt. Quare autem Autumnus tam malus habeatur, & quo pacto fiat, ut plurimos opprimat? Præter ea quæ a veteribus dicta ſunt : ex tempeſtatibus ſcilicet peſſimas eſſe quæ maxime variant, quia corpus caloribus relaxatum frigore ſubito identidem excipitur, idque præſertim autumnali tempore ſolere contingere propter meridiani temporis calorem, nocturnique & matutini, ſimul etiam veſpertini frigus; * Sanctorius expe-

Hipp. aph. III. 9. Celſ. l. 2. c. 1.

* Ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hiemale qualibet die minus libram circiter perſpiramus: inde uſque ad æquinoctium vernale incipi-

experientia doctus certiſſima prodidit „ *ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hiemale qualibet die libram circiter ſolito minus corpora perſpirare.* „ Vitanda igitur ſedulo ea omnia quæ corpus non ſinunt libere perſpirare, aut improviſo † a perſpirando detorquent. * Mœror & triſtitia maxime officiunt, ſpes & deſideria, prout ira & lætitia ** moderata juvant.

cipimus liberius perſpirare. *Sanct. de aere & aquis aph. 41.* Idem ibid. *aph. 42.* Autumnus inſalubris tum quia perſpiratio a superveniente frigore prohiberi ſolet, tum quia quod difflari prohibetur acre & mordax fit.

† Æſtivo calori ſuperveniente frigore eadem die libra circiter excrementorum inſenſibilium magna ex parte diflari prohibetur. *Sanctor. de aer. & aq. aph. 29.*

* Qui eunt cubitum cum mœſttiia noctu minus perſpirant. *Sanctor. de anim affect. aph. 15.*

** Lætitia moderata inſenſibiliter evacuat ſolum ſuperfluum: immoderata ſuperfluum & utile. *Sanct. de anim. affect. aph. 24.*

vant. Propterea medicamenta itidem omnia quia libere perſpirare aliquo modo prohibent, in ſtatu bonæ valetudinis fugias; non item purgationes ab externa cute, motione, frictionibus, vel ſi æſtas eſt, frigidis natationibus deductas.

Si tibi alvus cita, ſuperiores partes exerceas, venationibus, aſſis carnibus veſcaris, auſterum potum adhibeas, poſt cibum ſemper conquieſcas. Si compreſſa parum reddit, vinum tenue dulce, cibi varii, jurulenti, legumina, olera, quæque celeriter deſcendunt, ventrem molliunt: at poſt epulas dimoveare.

Aqua pura frigida vel egelida perpetuo neceſſaria eſt utilis. Herbæ, lac, mel, vini parum bonam valetudinem ſuſtentant. Acetum multivariam prodeſt, magisque acida ex foliis pomisque recentibus.

Celſum tibi adſciſcas Doctorem, quo nemo elegantius vel utilius te docebit, quæ maxime tum ad vitæ commoditatem, tum ad uſus bonæ valetudinis conducunt pro anni tempore,

pore, loci, aeris, ætatis, corporisque cujusvis conſtitutione.

Interea ſi amicus aliquis non imperitus artifex tibi ſtudeat, qui dulcia cum acidis ex herbis & floribus, fructibusque terræ recentibus, compotori jucunde miſceat ad ſolvendum tempeſtive gluten nimis tenax humorum, ex quo morbi tam periculoſi, plane illum ſincere cole: magisque ſi potionem blandam, qua concaleat ſtomachus, multaque digerat facilius, tibi paret. Ejusmodi adjutorem divos tibi genuiſſe puta, quo contentus neque jatralipta indigebis, neque medico, qui tecum inſcienter vel avariter medicinam exercens, tortoris vicem agat. Imo ſola ſenecta feſſus, placideque decumbens, illuc ſerius ibis, unde negant redire quemquam.

CAP. XIV.

De aqua, in ejusque uſu utilitatibus.

* AQua licet magna copia, vel pura, ſive cibis, aut potionibus admixta in noſtra corpora ſubeat, ejus tamen natura quia ſemper manet,

* Aqua quæ cito calefit & cito refrigeratur leviſſima. *Hipp. aph. V. 26.* Aqua leviſſima pluviatilis eſt: deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo: poſthæc ex nive aut glacie; gravior his ex lacu, graviſſima ex palude. Facilis etiam & neceſſaria cognitio eſt, naturam ejus requirentibus. Nam levis pondere apparet; & ex his quæ pondere pares ſunt, eo melior quæque eſt, quo celerius & calefit & frigeſcit; quoque celerius ex ea legumina percoquuntur. *Celſ. l. 2. c. 18. circa finem.* Potus ſi aqua pura & curſu exercita crudus optimus, ſi aqua inſectis & horum ovis inquinata, coctione leviſſima, & quiete brevi optima redditur. *Boerhave inſtit. med. aph. 56.*

net, neque unquam mutatur, ipſa non alimur, niſi quatenus eadem fluente moventur etiam particulæ in quibusdam corporis cavis depoſitæ, quæ ab omni concretione ſegregatæ cum reliquis humoribus fluitant, atque ad nutrimen, potioresque naturæ edacis uſus rapiuntur. Magnum enim vero ab aqua viventi corpori beneficium, tutiſſimumque ſolvendis vaſorum obſtructionibus auxilium!

Arbores, plantæ, & herbæ, a circumjecta terra flatibus pluviisque humente, radicibus humorem hauriunt hiantibus, quo nutriuntur & creſcunt: proque ejus quantitate, fame & cruditate laborant, ſi uberius vel parce nimit exugant. Ita profecto nec aliter animal omne vivens alimentorum congeſtione terram quaſi ſibi in ventriculo atque inteſtinorum cavis accumulare videtur, quam ſecum continenter portat. Illam multa potiſſimum aqua humectat, ex eaque humida maſſa minuti venarum rami plurimi recen-

tem perpetuo ſuccum delibant, in cordis cavationes per venam illam † cavam opportune transferendum, ut inde ſine intermiſſione, igneo quaſi motu vehementiori concepto, in arterias influat pro conſervanda humorum circulatione perenni.

Porro ſi liquidi omnimoda quantitas a corde hauſta in venas prorſum

† Vena cava lato oſculo inſeritur dextro cordis antro, ſanguinemque illi ubertim infundit. Deferunt autem arteriæ ſanguinem ad omnes corporis partes pro nutritione, accretione, caloris conſervatione, diverſorum humorum ſegregatione &c. Venæ ſanguinem verſus cordis cavitatem referunt, ut ulterius elaboretur novaque materia aerea imprægnetur, atque ita prioribus uſibus rurſum reddatur idoneus. Dum vero ſanguis indeſinenter feratur a cordis cavitatibus per arterias & rurſus ad eaſdem cavitates per venas, ſequitur eundem in corpore jugiter circulari. *Philip. Verheyen Tr. I. c. IV. de arteriis & venis.*

ſum transfunderetur, arteriis tam larga transfuſione demum exhauſtis, curſus humorum promiſcuus identidem intermitteretur. Sed quantum arteriæ in venas diſtribuunt, aut ad extimam cutim transmittunt, ſive alicubi interius deponunt, a cordis cavis tantumdem continenter recipiunt, quia venæ illuc, acceptum ab arteriis humorem impulſu undæ recta ſuccedentis, & preſſionibus lateralibus per canalem amplum, contrario motu revehunt, novumque à ventriculo atque inteſtinis receptum expaſſis oſculis indulgenter expromunt.

Quum vero aqua magna ex parte liquido vitali motum ſubminiſtret, propterea quod in corporibus nulla vaſa tam minuta adſint, ad quæ non poſſit affluere atque illabi, multas, quas † epota vel affuſa, frigida ſeu ege-

† Ubi vero febris fuit atque decrevit, ſpectare oportet, num tempora, partesve corporis aliæ paulum madeſcant, quæ ſudorem venturum eſ-ſe

egelida affert utilitates, ſi vellem enumerare, librum ſeorſum in plura volumina propter amplitudinem diviſum haberem deſcribendum. Quod quidem facere, præterquam propoſita mihi in hoc opere brevitas prohibet, rem a viris claris ampliter perſpicueque ſatis declaratam, labore ſupervacuo enucleandam ſuſciperem.

Aqua in * rigoribus & diſtentione nervorum, in ** febribus utique ſæpenumero utique ſæpenumero utilis

ſe teſtentur. Ac ſi qua ejus nota eſt, tunc demum date potui calidam aquam; cujus ſalubris effectus eſt, ſi ſudorem per omnia membra diffundit. *Celſ. l. 3. c. 6.*

* Ubi in rigore ſine ulcere, juveni bene carnoſo æſtate media frigidæ multa affuſio caloris revocationem facit. Calor autem hæc ſolvit. *Hip. aph. V. 21.*

** Si febris quæ non eſt a bile detineat, aqua multa & calida in caput affuſa, febris ſolutio fit. *Hipp. aph. VII. 42.*

utilis eſt: † Capiti etiam & ſtomacho atque articulis prodeſt: †† acrimoniam mordacem humorum emendat, neque illos ſpiſſeſcere aut concaleſcere facile ſinit. CAP.

† *Celſ. l. 1. c. 4.* Capiti nihil æque prodeſt atque aqua frigida. Item *l. 1. c. 15.* Neque vero his ſolis, quos capitis imbecillitas torquet, uſus aquæ frigidæ prodeſt, ſed iis etiam, quos aſſiduæ lippitudines, gravedines, deſtillationes, tonſillæque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum: ſed os quoque multa frigida aqua fovendum eſt. Idem *l. 1. c. 9.* Aqua vero frigida infuſa præterquam capiti, etiam ſtomacho prodeſt. Item articulis, doloribusque qui ſunt ſine ulceribus. Item rubicundis nimis hominibus ſi dolore vacant.

†† Ad emendandam ſitim, ſiccitatem, craſſitiē humorum, vel eorum acrimoniam, tum aqua frigida limpida eſt potus optimus. *Boerhaave de ſanit. tuen. aph. 1041.* Potus aquæ bonæ frigidæ parcus, ſoli ſiti, dilutioni, temperiei inſerviens, maximis laudatur effectuum exemplis. Idem *ibid. aph. 1058.*

CAP. XV.

De herbis & aromatibus.

SI quis longo uſu & ſolerti ſagacique indagine utilitates percepit ſtirpium, ſeminum, bulborum, pomorum, florum & herbarum, quæ ſub ſole noſtro in noſtris regionibus a campis herbidis ſponte vel a terra ſubacta ſata gignuntur, ille profecto aromata, quæ tellus fert a noſtro tam procul remota litore, vel prorſus ab uſu & medicina rejiciet, vel certe non adeo cum vulgo, eorum fallaci virtute confidet. Præterquam enim quod infinitæ providentiæ proprium videtur curaſſe, ut in quacunque orbis plaga gentes coaluerint, ibi pro loci, aeris, naturæque conſtitutione, vitæ, victui, & ſanitati neceſſaria ſuppetant, nondum ulla rite probata notio habetur, aromata plus adjumenti quam noſtrates herbas corporum tum firmitati, tum ſaluti præſtare poſſe. Imo verum diligentes examinans deprehen-

hendet, aromatibus ineſſe particulas oleoſas, ſalitas volatiles, atque ſimul alias terreſtres admodum ſtricte cohærentes. Quumque oleo magis quam liquoribus cæteris, ignea vis quædam ſubſit, adeoque citius concipiat & diutius retineat ignem, aromatum pars oleoſa in quodam caloris vitalis incremento, ſummaque intima agitatione cum ſanguine circumdata furens accenditur, unaque cum portione ſalita volaticos arripit impetus. Partes vero terreſtres cohærentes arcte, gluten viſcidum ac tenax ſanguinis arctius ferruminant: exitiale ſine dubio animantium corporibus utrumque.

Lacteæ e contra pubentes herbæ, quarum particulæ aqua interjecta molliter connexæ nullius fere conatus indigæ facillime teruntur: quarum ſales acidi & firmi ſaporem acuunt, nec facile diſſipantur: quarum denique pars humoris oleoſi minima eſt, celerius in vitale liquidum optimum, atque in nutrimentum ſalubre mutantur. Quin imo, quia

quia vitalem humorem triplicem, ſanguinem nempe, lympham & oleum ex diſſimilibus rebus miſceri & temperari oportet, herbæ id commodiſſime efficiunt; in iis enim abundat ſuccus ille aqueus oleoſus ſalitus, quem artifices vocant *ſaponaceum*, quique admodum neceſſarius eſt, ut perfecte commiſceantur partes diſſimiles ſanguinis; aquæ præſertim & olei, quæ ſuapte natura ſe invicem fugiunt: ſed quarum ſeparatio corpori viventi ſolet eſſe adeo funeſta, quia cum humorum, tum naturæ diſſolutionem accelerant.

Si igitur in ſano corpore mentem ſanam diutius ſervare concupiſcis, ne perpetuo te delectet pinguis culinæ nidor, aut certe gravis odor. Nares imo potius crebro perfricato, ut pomorum ſuaves & florum, herbarumque ſalubres differentias diſcas odorari.

Quæ bene ſed gravius olent etiam à longinquo ab uſu frequenti rejicito, ſicut allium, cæpas, lateque olentia

lentia ſerpylla: nec enim inſcite Nævius apud Priſcianum, *illum Dii terant qui primum olitor cæpam protulit.* Iis autem confidentius utitor, quæ odoram narium vim leniter titillant. Herbas, quarum ſapor tenuis, vel acidulus, aut ſubſalſus, etiamſi nihil oleant ſumito frequentius. Intubus, cichorea, levesque malvæ, & lactuca innocens te paſcant crebro. Male olentia omnia cum odoratus offenſione citra medicamina ſemper vitato. Herbarum prout etiam odoramentorum omnium differentiæ ſunt in colore, & odore, & ſucco.

Quando igitur frigora miteſcunt Zephyris, aut pomifer Autumnus fruges effuderit, ambulans commode colles herbiferos placide acclivos frequentato. Ibi inter ſalientes rivos irriguos quantis odorant aera ſuavitatibus, quæ ab herbis & floſculis afflantur, libere fruitor. Ea curioſius legito quorum non guſtatus ſolum; ſed odoratus & ſpectatus jucundus, quæque ſapore grato,

tactione pura, odoratione ſuavi delectant. Perſicos interibi oblitus apparatus herboſo ſubſtrato cæſpite, floribus admixtis mollibus, recentibus ex herbis odoriferis acetaria componito. Pane cibario interdum, ex ſiligine, vel ſimila, melle, † pomis, olere, lacte nonnunquam contentus adorna quod opus eſt, ut majoribus poculis aquæ puræ limpidæ potatione liberius indulgeas; atque ita aliquoties Pythagoreum convivium celebrato. Id facienti ſæpius, acumen ingenii, firmitas corporis, vera lætitia: proindeque humorum æqualis circulatio, pravæ affectionis in bene perſpirante corpore correctio, ſanguinis emendatio præmia tibi certa ſunto. Quo tandem pacto, crede mihi, moram rugis afferes, & inſtanti ſenectæ, indomitæque morti.

CAP.

† Ille ſalubres æſtates peraget, qui nigris prandia moris finiet. *Horat. l. 2. ſat. 4.*

CAP. XVI.

De Vino, Aceto & Acidis.

Omne malum vino, cantuque levato.
Horat. l. 5. od. 13.

VInum inter communia auxilia poſuit * Aſclepiades: quamobrem vinum dulce lenimen laborum, quoad ſpem reducit mentibus anxiis & vires, quamquam ſocraticis madens ſermonibus nemo ſapiens negliget: Virtus enim uſque priſci † Catonis mero ſæpe caluiſſe narratur, atque dulce porro ſemper periculum habitum eſt, Deum ſequi cingentem viridi tempora pampino. Quando autem aliquis pleno Bacchi pectore turbidum lætatur, menteque velut nova, modo in aera cogitationes ejus aguntur, dum ſubjecta & circumpoſita Polum videntur percurrere rotundum; tunc juſto trepidet metu, tunc Liber gravi metuendus Thyrſo, tunc bibendi maleſana coercenda ſine mora voluptas.

* *Celſ. l. 2. c. 1.*

† *Horat. l. 3. od. 21.*

LXVIII

Incauti admodum plerique putant vini ſpiritus in cerebrum ſuaviter diffugere, atque lætitiam nullo pacto nocituram afferre. Quia tamen maſſa humorum, ſpirituum vinoſorum portione immoderata injecta, fermento quaſi attollitur turgida & ferveſcit, propterea, multa ſpiritali rapida exhalatione, cerebri & cerebelli nervi turgent, ſimulque mens offenditur. Falſa ideo nimirum eſt illa hilaritas, quam furor, oblivio, ſomnolentia ſequuntur. Violentæ potiones crebræ, magisque ſeparati vini ſpiritus hauſti motum & calorem humorum, quocirca & vires protinus in corpore augent: gluten vero ſubinde magis firmant, nervosque reſolvunt, quia nimia celeritate inducta, nec non immoderata ſpirituum quantitate immiſſa, illorum functiones violenter nimis interturbant. Idcirco non mirum ſi bibendi avidi paralyſi plerumque, ſive apoplexia correpti morti cutem concedunt atræ.

Quando

Quando autem vinum ſecundo fermenteſcit, particulæ pingues & craſſiores ſeparantur ; ideoque rareſcens tum fit acetum, liquor a vino totus diverſus permanans pervolans, aptiſſimusque ad ſe inſinuandum in corporis viventis humorem quemcunque etiam oleoſum. Proinde ab aceto peſſima illa humorum mutatio, quam motus & calor vitalis continenter moliuntur, quamque medici corruptionem, acrimoniam, rancorem vocant, ſæpiſſime mitigari, vel etiam cura adhibita ſolertiori, ex toto prohiberi poteſt.

Acetum nervis amicum, eorum vires infractas placide reficit, laſſitudinem artuum tollit, ebrietatem diſcutit, ſomnolentiam expellit, Si peſtilentia gravis incidit nihil æque efficax atque utile. * Spongia ex aceto expreſſa atque impoſita in articulorum doloribus, etiam ſi tumores obcaluerint, cruciatus levat. † Ex aqua & aceto palumbus ferus decoctus tormina ſedat. Acetum vete-

*Celſ. l. 3. c. 24.

†Plin. l. 30, c. 7.

veteres in febribus acutis interdum, interdum etiam in longis velut optime refrigerans adhibeant. Ex attributis Hippocrati ſcriptis colligitur potiſſimum, quam frequens utiliſque fuerit uſus aceti ab iisdem uſque temporibus quando in tres partes medicina diducta eſt, apud omnes medicæ artis Profeſſores, qui victu, aut medicamentis, vel manu mederentur. * Aſclepiades acetum quam acerrimum ſorbendum porrigebat, ut ſine ulla noxa faucium ulcera comprimeret. † In ſtomachi morbis quando ſimul & vomitus & dolor eſt, ſpongia † ex aceto ſupra ſtomachum imponenda. * Ex aceto pitacium impoſitum dolorem capitis in ardente febre minuit.

** Celſ. l. 4. c. 4. de faucium exulceratione.*

† Celſ. l. 4. c. 5. Trallia. VII. 7.

** Celſ. l. 3. c. 10.*

Acida tamen quæcunque † ſtomacho apta ſunt, niſi exulceratio illum infeſtat; tunc enim omnia acria, atque

‡ Celſ. l. 2. c. 24.

‡ Et pots, & fotu ſtomaco conducit accetum. *Q. ſer. ſamon. Digeſt. & ſtom. med. v. 15.*

atque acida removenda. Longe vero omnium utiliſſima habenda pomorum acida, præſertim mali citrei, punici, vel cotonei. Ceraſum, morum, ſorbum, cæterique fructus terræ omnes & germina, quorum ſapor acidulus, penetrans, gratus, odorque ſuavis fragrans, aptiſſimos ad ſanitatem conſervandam præbent ſuccos.

Quomodo autem ab aceto & acidis, tot humano viventi corpori proveniant commoda facile perſpicuum erit conſideranti, pro vita & valetudine cuſtodienda non ſolum opus eſſe iis, quæ perſpirata & egeſta reſtituant, atque neceſſariam ſani humoris copiam ſuggerant: ſed fibrarum præterea compages continuo eſt roboranda, ne motus congruus deſit ad liquorem nervis peculiarem in eorum tubulos vel minimos deferendum. Et quia actio per vaſa omnia continuata plane requiritur, ut humores ſine intermiſſione per univerſum corpus propel-

lantur; idcirco fibris quoque minimis motiones addendæ ſunt ſubtilius. Leviſſimis porro earum motiunculis ſæpiſſime opus eſt, quibus humores craſſi deſidentes interdum moveantur, vel ſales hærentes per vaſcula minutiſſima meabiles fiant. Id profecto commodiſſime præſtant acida præſertim omnia ſuaveolentia ex herbis fructibusque terræ recentibus. Ratio ſi habeatur diligens corporis, ætatis, ſexus, aeris, levis ab acidis titillatio ſenſibus adhibetur: fibras enim blande moventes ſtimulant, vaſa inertia excitant, hærentes particulas diſcutiunt, gluten humorum quodcunque in liquorem ſolvunt.

CAP. XVII.

De lacte.

MUlti homines naturæ bonis inexperti atque inſueti a dulci lacte longe refugiunt, hercle quidem immerito trepidantes, atque ab innocen-

nocentiſſimo nutrimento ſenſibus omnibus accepto & ſuaviſſimo malum ſibi perperam metuentes. Ii profecto ſi animadverterent, lac per viſcera licet animalium, eorumque arteriarum tubulos percolatum, virentis pabuli multas adhuc qualitates retinere longe aliter ac vulgus, in quo nec ratio, nec diſcrimen, nec diligentia, ſentirent. Imo aliquod ſi haberent tanquam delectamentum ſtudii & doctrinæ in conſideratione, contemplationeque, naturæ, ſalubrem lactis illam ad aceſcendum facilitatem omnino magnifacerent. Neque enim licet ignorarent, quare nihil utilius lacte, vel ſero ejusdem, gracilibus implendis, tabidis, aut ab aliquo longo morbo extenuatis reſtituendis atque nutriendis. Celeberrimus aliquis medicinæ Profeſſor uſque ante Hipprocratis tempora Pitocles magno cum ſucceſſu, lac in variis morbis plurima admixtum aqua exhibuiſſe dicitur. * In phthiſi, ſicut in omnibus longis difficilibusque

*Celſ. l. 3. c. 22.

que febriculis recte datur. Non item † in acutis febribus vel capitis doloribus biliosa urina eſt, ſive ſanguis fluxit, aut ſitis aſpera enecat. Ante dolores, qui certis temporibus revertuntur, victu ſimplici ac tenui adhibito, ne inutilis materia corpori ſuperſit, * lacte purgari podagricos juvat. Aſinino lacte diutius poto multi hoc malum in perpetuum evaſerunt. Corpus totum affectum & oſſa quoque vitiata, cibo ſine pinguibus, ſine glutinoſis, ſine inflantibus, & lacte vel ſero ejusdem cum herbis innocentibus poſſe curari, auctores ſunt † Democritus, Celſus, Areteus, Galenus.

† *Hipp. aph. V, 64.*

* *Celſ. l. 4. c. 24.*

† *Democritus ap. Cael. Aur. Celſ. l. 3. c. 25. Aret. de ſign. & cauſ. morbor. et curat. diut. 11, 13. Galen. ad Glaucon. 11, 10.*

Si præterea quicunque conſideret quanta debeat eſſe laticis vitalis tenuitas, quamque ſubtilis liquor, qui gradatim poſt concoctiones reſpondens adeo attenuandus eſt, ut in vaporem & auram ſenſum fugientem evaneſcat, apprime lac ad ejusmodi humorem præſtandum idoneum

neum eſſe dignoſcet : nullus enim cibus alius in nutrimentum celerius abit, præſertim ſi cum aqua miſceatur, ne ſpiſſeſcat. Quoque facilius admixto calore alimenta mutantur, eo citius in arterias & venas ſuccus nutricans transfunditur, & vapor ſive aura ſpiritalis nervos ingreditur. Vi deinde movendi & ſentiendi corporis totius membris collata, humor vaſis undique diffluens univerſum corpus percurrit, quod cum æqualiter conferbuit, cocta perſpiranda utiliter ad vaſa ſub extima cute hiantia deferuntur. Lactentes pueros a mamma nondum depulſos vapor & odor permanans atque pervolitans certum indicium eſt, quam celeriter lac penetret & dividat quæcunque vivi corporis involucra atque integumenta.

Quamobrem certum eſſe videtur, atque multa experientia confirmatum, opportunum lactis, aquæ, herbarumque uſum, athleticum & robu-

robuſtum nimis corporis habitum mitigare, cohærentes arctius in vaſis ſolidas particulas ſolvere, vires internas validiores, quæ nocere poſſunt retundere, acrimoniam humorum delinire, rancorem oleoſum ſalitum corrigere atque emendare.

CAP. XVIII.

De vomitu, quando neceſſarius, & quomodo tuto ciendus.

* *Cic. 2. de natur. Deor.*

*Medicorum ingeniis reperta ſunt, vomitione & dejectione corpora purgare ex eo, quod vomitione canes, alvo ſe Ibes Ægyptiæ curant. Quia tamen vomitu & alvi purgatione crebro nimis populares medici utuntur, pauca ſed propria quædam, ſcituque neceſſaria de utroque medicamento dicenda ſunt, ut ſaltem paulo ſubtilior obſervatio adhibeatur cum iis qui noſtrum conſulentes libellum imperiti medici errores vitare ſtudebunt, atque effugere.

Quan-

Quando igitur aliquis cibis & potionibus variis ita ſe expleverit, ut nullo modo ſtomachus videatur poſſe concoquere; imo periculum ſit ne ex corruptione majora eveniant mala, tunc expedit prima & proximiore via corruptum, vel quod corrumpi poteſt expellere. Quamobrem ſi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum, ſi pectus æſtuat, aures ſonant, ſaliva frequens, nauſea, ventriculi morſus, os amareſcens, vomitione cum utilitate cibos reddet. Animadvertendum eſt fere omnia, quæ vulgo ad vomitum * excitandum exhibentur, ſtomachum lædere, licetque magis vel minus violenter irritent, infeſta ſemper eſſe ſtomacho, capiti, dentibus, oculis.

Conſiderare præterea oportet vomi-

* Excitatur vomitus omni acri valde, & ſimul viſcoſo Anethi flore &c. Antimoniatis &c. Vino emetico, mercurio vitæ, Tartaro emetico &c. *Vid. Boerhave Inſt. med. de methodo medendi 1202. ad 1208.*

vomitu vehementibus medicamentis excitato, † urinam diverti, corpúsque perſpirare prohiberi ‡ vires enim ad libere perſpirandum neceſſariæ ab irritatione violenta ventriculi, motuque * retrogrado cum ſpasmo ſtomachi, inteſtinorum, aliarumque partium valida convulſione, ad interiora corporis attrahuntur. Quocirca in eo vomendi nixu, ductus

† Vomitus urinam & perſpirationem divertit. *Sanctor. de ponder. aph. 89.*

‡ Vomitus enim divertit perſpirationem trahendo ad intra perſpirabile. Quod ut acre laſſitudinem & calorem, ut copioſum gravitatem facit. *Sanctor. de cibo & potu aph. 35.*

* Nauſea & vomitus videntur eſſe motus ſpasmodici retrogradi fibrarum muſcularium æſophagi, ventriculi, inteſtinorum, ſimulque convulſiones validæ muſculorum abdominalium, & ſepti transverſi; quæ leniores nauſeam, violentiores vomitum creant. *Boerhav. Inſt. med. de morbis aph. 809.*

ductus ad extimam cuticulam, pulmonum, renum, omneſque fere meatus obſerantur externi.

Tutius itaque crederem, quando ſanum cæteroquin hominem vomere convenit ob nimiam copiam, vel acrimoniam quam ſtomachus ferre non poteſt, id faciliori † conatu procurare. Aquam idcirco multam tepidam, cui ſalis, aut mellis, vel olei paulum adjectum, bibat: fibras deinde faucium digito vel penna leniter ſtimulet. Neque dubium quin expletus facile vomat, idemque, ſi opus eſt, iterato eodem tempore faciet ſecurus. Quod ſi fauces fuerint vomitu exaſperatæ, frigidam dehinc aquam bibat & conquieſcat. Cibum

† Corpora ubi quis purgare voluerit facile fluentia reddere opportet. *Hipp. aph.* II, 9. Corpora oportet, ubi quis purgare vult, facile fluentia reddere. Et ſi quidem velit efficere facile fluentia ſurſum, alvum ſiſtere: ſi vero deorſum humectare. Idem *aph. VII.* 70.

Cibum poſt quietem mediocrem capiat, aſſas præſertim carnes & eſcam quam ſicciſſimam, vinum bibat auſterum. Aquam tepidam ſubſalſam potui datam ad vomitum eliciendum Celſus ſæpius commendat. Facilitas vero vomendi non minus probroſum facit inſaturabili abdomini indulgere, quia dum corpus habetur in ſagina, mens animusque in macie ac veterno ſunt.

In morbis longis etiam valentibus dummodo ſine febre ſint, velut in *comitiali, aut inſania cum hilaritate veratrum album ad purgandum ſurſum corpus opportune datur: ſed quiete & alimentis aptis accepturus †humidior antea efficiendus eſt. Id tamen neque * hieme, neque æſtate re-

*Celſ. l. 2. c. 13.

* Comitialis morbus, alias morbus, caducus, major, ſacer, ſonticus, Herculeus, divinus, Epilepſia.

† Ad elleboros, qui non facile ſurſum purgantur, iis ante potionem corpora præhumectanda copioſiore alimento & quiete. *Hipp. aph. IV. 13. & Celſ. l. 2. c. 13.*

te recte exhibetur: optime vere, tolerabiliter autumno. Si febris ardens eſt, ſi acutus morbus, inter rigores ſemper malum. Atque id demum ſcire convenit, omnia medicamenta quæ vomere cogunt cum irritatione vehementi, non ſemper ægrotos juvare, ſanis ſemper nocere.

CAP. XIX.

De dejectione.

* ÆSculapius primus alvi purgationem invenit: † alvus tamen ſi vehementius fluit, hominem infirmat † omnibusque morbis obnoxia maxime infirmitas eſt. Quare perperam dejectiones tam multas una duntaxat potione, vel catapotio medici conantur elicere; vix enim poſſibile eſt in tanta alvi ſolutione modum ſervare, ut educantur ſolum ea, quorum ejectio creditur † utilis. Imo cum multa deſcen-

** Cic. 3. de nat. Deor. c. 22.*
† Celſ. l. 2. c. 2.
† Celſ l. 1. c. 3. de dejection.

F dant

† Si qualia purgari oportet, purgentur, confert & facile fertur: ſi contraria difficulter. *Hipp. aph. l. 25.*

dant ad inteſtina, per hanc viam egeri poſſunt, atque educi ex corpore ſaliva, mucus, oris, faucium, ventriculi, utraque bilis, humor inteſtinorum, aliaque humida vel mucoſa fluida, quorum copioſa nimis evacuatio non leve detrimentum infert.

Attamen ſi præter conſuetudinem venter adſtrictus eſt, & ſuppreſſus parum aut nihil reddit, ex eoque inflationes caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt, purgatio a medicamentis quidem, ſed non aſperioribus expetenda. Antiqui * variis modis dejectiones moliebantur. Verum quia medicamenta ſtomachum fere † lædunt, adhibere primum quæ

† *Celſ. l. 1. c. 12.*

* Dabantque aut nigrum veratrum, aut filiculam, aut ſquamam æris; aut lactucæ marinæ lac, cujus gutta pani adjecta abunde purgat; aut lac vel aſininum, vel bubulum, vel caprinum, eique ſalis paulum adjiciebant,

quæ ſimul & alant, & † corpus molliant ſuadet * Celſus. eaque ſi parum proficiunt aloen ſumere. † Caſſiæ pauxillum Sanctorius laudat; ne corpus juſto minus perſpiret. Æqua lance penſita, ſi non habes potiora, quæ Hermannus * Boerhaave purgantia exhibebat præſertim in febribus.

* *Celſ. l. 1. c. 3.*

* *Boerhaave inſtit. med. de meth. aph. 1209. ad 1019. & de remedior. formulis ſect. 634.*

F 2 CAP.

bant, decoquebantque id, & ſublatis his, quæ cojerant, quod quaſi ſerum ſupererat bibere cogebant. *Celſ. l. 2. c. 10.*

† Corpus molliunt cibi varii juruſenti, legumina, omnia tenera, dulcia, pinguia elixa, jurulenta, ſalſa, diluta. Movent malva, lapathum beta, mercurialis, ſena, mel crudum, lac.

† Caſſiæ pauxillum non divertit perſpirationem, non lædit vires. *Sanctor. de ponder. aph. 48.* Hinc ex ſtaticis paret in die medicinæ, trium horarum ſpatio exiguam fieri perſpirationem. *Ibid. aph. 53.*

CAP. XX.

De morbis acutis.

MOrtalium quidem oculos fulgor inter nubes improviſo coruſcans obtundit magis, quam ſi tonitru minaci murmure prius aures perſtrinxerit: ab Æthereque fulmen cum ſonitu repente vibratum magis animos terrificat: ſubita nec ſecus ac mari tempeſtas, quam ante proviſa navigantes terret vehementius. Attamen revera nihil unquam natura efficit incordinatum vel improviſum. Sed quia hominum cogitatis cauſarum pleræque, ad efficiendum quæ concurrunt, ignorantur; ideo multa, ut captus noſter eſt, habentur improviſa, quæ conſuetis ac diuturnis naturæ molimentis fuere jam dudum parata. Ita profecto, ad morbos quosvis creandos multa licet & varia a longo tempore conveniant, affectiones acutæ repentino aliquo motu

motu accidere putantur, quæ præparatæ a multis cauſis inferuntur. Plurima igitur in tali caſu diligentius exploranda ſunt, ut in operationibus naturæ, quæ nihil amat ſolitarium, multæ confertim veniant in mentem; ſed ea potiſſimum cauſa clarius dignoſcatur, quæ plurimum ad peſſimam affectionem contulerit.

Quamobrem bonus medicus ad male acuto morbo vexatum admiſſus, non ſtatim ac venit brachium apprehendit, ut venas exploret: lentiores enim illæ vel celeriores identidem multis variisque de cauſis fiunt. Animi præſertim affectus diverſi venas veſtigio temporis diverſe movent: easque ira vel ſolicitudo concitat, prout metus & hæſitatio reſolvunt. Idcirco talia qui bene norit medicæ artis Profeſſor, leni primum placidoque ſermone motus animi ſedare in ægroto conatur: intereaque illum clara luce ad-

adverſus contemplatur, & ex vultu notas omnes attente perſpiciens. Magni quippe intereſt inſpectare, ſint ne graves oculi, aut aridi, ſineque humore prorſus vel ſubhumidi: ſit ne color verſus & mutatus in ruborem, vel pallorem novum: ſpiritus facilis, an cum fervore ex naribus prorumpat: calor e præcordiis ad ſumma ne uſque aſcendat, & frontis cutem ardore nimium, vel labia ſiccitate conficiat. Quæ omnia ſimul & alia diligenter intuens, aliquid interibi tranquille ſedateque proloquens, manu ſubinde carpo admota, inveſtigabit ſedulo an venæ celerius, quam pro corporis conſtitutione ſoleant, vel non æquis intervallis moveantur.

Quando autem ſine intermiſſionibus acceſſiones & dolores graves urgent, acutus morbus eſt, qui vel cito tollit hominem, vel ipſe * brevi fini-

* *Celſ. l. 3. c. 1. Item Boerhaave inſtit.*

finitur. Quare tempus quum deliberationi & mutationi remediorum minime pateat, quod nihil prodeſt, ſine mora mutari debet. Verum inter magnam anxietatem, & angores increſcente morbo, ** periculoſum admodum videtur quippiam experiri. Satius proinde erit, quia „ * *initia morborum primam famem, ſitimque deſiderant*,„ abſtinentia pugnare: cum eo tamen, ut vires ægri ſine magno imminenti periculo propter inediam, vim morbi ferre * Celſ. l. 3. c. 16. Hipp. de vet. M. T. XV. n. 10.

 poſ-

ſit, *med. de morbis aph.* 736. Ratione temporis: acutiſſimi inter quatuor dies terminandi, peracuti intra ſeptem, acuti intra dies viginti. Morbos acutos febriles *de cognoſc. & cur. morb. aph.* 770. recenſet.

** In acutis affectionibus raro & in principiis, purgante utendum, atque hoc diligenti prius adhibita cautione faciendum. *Hipp. aph.* I, 24.

poſſint. Quod ſi imbecillitas prætimeatur, idoneus cibus opportune datus optimum erit medicamentum.

Oportet igitur medicum primo conſiderare, morbus, quem acutum eſſe decreverit, an increſcat, an conſiſtat, an minuatur: quia multo plura inclinatis jam morbis remedia conveniunt, quam increſcentibus. Neque terrere debent calor, tremor, horror, alvi profuſio, vomitus, delirium, febris ipſa cum horrore, calore, motuque venarum celeri; tum quia ſæpe unum alterum levat, tum quia talia fere ſemper oriuntur a naturæ conatu molientis ſecretionem materiæ quæ lædit, quamque vel per ſudorem, vel per aliam viam excretura eſt. Quæ quidem natura in ſuo molimine nunquam niſi perperam interturbatur: idque facile contingere poteſt, dum ſæpe occultius illa conatur, quod cautius tamen ſemper perficit.

ASCLE-

ASCLEPIADES ergo prudenti ſane conſilio, abſtinentia, luce, vigilia, morbi vim inter initia convellendam putavit: ulterioribus deinde diebus cubantis etiam luxuriæ, teſte * Celſo, ſubſcripſit. Febre imo ipſa præcipue ſe ad remedium uti profeſſus eſt. ** Celſ. l. 3. c. 4.*

Præterea, cum præcipue in morbis acutis † fallaces magis ſint notæ ſalutis & mortis, quidnam tutius quiete & abſtinentia? quod vel uno die fieri, vel biduo ſatis erit, prout vires ægri ſedulo penſatæ patientur. Aquam ſubinde bibere, humidumque cibum, decurſo jam graviſſimo tempore, atque acceſſione remiſſa ſumere, ſed parva copia congruis potius intervallis repetita, ne laboris nimium, quam par eſt, viſceribus injungatur. Hæc porro ſi quis ingruente morbo primis diebus ſervet, atque ita ſibi temperet, neque dubium, quin brevi magna ex parte vis morbi diſcutiatur. Et *† Celſ. l. 2. c. 6. Hipp. aph. 11. 19.*

ſi non omnis cauſa metus finietur, impetum certe morbi trahendo æger effugiet, donec porrigatur in id tempus, quod tutæ curationi locum præſtet.

Nemo profecto unquam ſatis commendare verbis poſſet juſtam illam victus rationem, quæ homines ad † ſummam ſenectutem perducit, atque * multum admodum in omnibus malis corporis proficit. Ad ipſius normam ſi reſpondeat tempeſtiva inter initia morborum abſtinentia laborantem non infirmat, imo mirifice adjuvat. Naturæ commode opitulatur, & cavendo ne materia ſuperans ægrotum oneret, providet ne imbecilliorem fames perdat.

* *Celſ. in praef. l. 5.*

Ve-

† Ea tamen victus ratio, quam quotidie minus perpendimus, pellit nos ad ſenium. *Sanctor. de ponder. aph. 123.*

Verum ſi aliquando adverſæ valetudinis ratio ita procedit, ut neceſſum videatur, corruptum expelli debere, quod ipſe quoque Aſclepiades confeſſus eſt, qui vomitum rejecit, & purgationes expulit: id maxime fieri oportet, vel corpus facile fluens, ut * Hippocrates præcipit, reddendo, vel induſtrius curando, ne manantia corpuſcula per inviſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudant, atque exinde minuatur evacuatio inſenſibilis, quæ ſola, ut † Sanctorius aſſerit „ *ſolet eſſe longe plenior, quam omnes ſenſibiles, ſimul unita* „: cujus ope cauſæ morborum tutius emendantur, ſineque coactis cruciatibus auferuntur.

* *Hipp. aph. 11. 5.*

† *Sanct. de pond. aph. 4.*

Ecquis dubitet, meliori cum ſucceſſu naturam ſemper agere tum in corrigendo, tum in ſecernendo atque excernendo materiam ſuperantem, dum illa ſenſim, continue, ſine violentia, cibo potuque primis diebus detractis, minuitur? præſertim

ſi in

ſi in luce habeatur æger & quam maximo conclavi cubet? Omni vero ſtudio cieatur per univerſum corpus inſenſibilis perſpiratio, quæ adeo eſt neceſſaria, ut vel in infima parte viventis corporis prohibita ſit *lethalis; fit enim gangræna.

* *Sanct. de pond. aph. 86.*

Quod ſi aliquando natura in ardore febris aſſiduo ſatisque moleſto, valentiora rerum gerendarum poſtulat adjumenta, ſapiens medicus, humores calidos in aliquam partem confluxos, calidis digerentibus tractabit, ut perſpirante corpore, liberius avolent reſoluti. Refrigerationem autem ſanguinis in morbis acutis plane non molietur, tum quia † „*refrigerationes in morbis acutis indicant mortem, adimunt enim perſpirationem*„ tum quia * natura ſanguinis non eſt, ut utique caleat, ſed ex iis quæ in homine ſunt, is celerrime vel refrigeſcit.

† *Sanct. de ponder. aph. 121.*
* *Celſ. l. 4. c. 3.*

Quapropter adhibendæ potius calidæ

lidæ digerentes ex vegetabilibus ante alias potiones, quæ & cauſas morbi oppugnent & viribus aliquo modo, ſi deficiunt, ſubveniant. Talem porro fuiſſe mentem Aſclepiadis arbitror, qui vinum tanquam commune auxilium magnopere collaudavit, neque a febre calidis adhuc bibendum porrigere dubitabat.

Quam male igitur ægrotantium ſaluti conſulitur ab illis ficte & fallaciter popularibus medicis, qui primis diebus protinus effuſa omni medicinæ vi, ſanguinis miſſione, vomitu, ſive dejectionibus morbi acuti languorem ſe ſublaturos eſſe ſperant. Quod ſi interdum caſu incidit, ſæpius fallit, raroque morbus ſic deſinit, ut ex toto ſequatur integritas. Ima poſtilla etiam morbo liberati vix refectioni valent, adeo ut ſi febris rurſus accedat, facillime concidant. Medicamentis valentioribus vires penitus convelluntur, & corpus imbecillum redditur; atque

ex

ex imbecillitate morbis maxime obnoxia ſummum periculum.

Quando vero morbus nihil remittit, ſed, ita ut cœpit, continuat cum fervore ingenti, acceſſionesque ſiunt aliæ ſerius vel celerius omni tempore vehementiores: Si lethalis morbi notæ plures in dies novæ concurrunt, mitioribus deſperatis auxiliis, etiam ſi corpus vix pati poſſe videatur, excitetur vomitus, cieatur alvus, mittatur ſanguis, periculoſiſſima quoque debent tentari: ſatius eſt enim anceps auxilium experiri, quam nullum.

CAP.

CAP. XXI.

De vigilia & ſomno.

TUnc homo vigilare creditur, quando organa * ſenſuum internorum & externorum tum propter præſentiam ſpirituum bonorum in † cerebro, medulla ejus & ner-

* Senſus externi ſunt quinque viſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus: interni duo, ſenſus communis & phantaſia ſive imaginatio, ad quam pertinet memoria. *Cic. 5. de nat. Deor.* Senſus autem interpretes ac nuntii rerum in capite, tanquam in arce, mirifice ad uſus neceſſarios & facti & collocati ſunt.

† Vid. anatom. de cerebro & cerebello, eorumque functionibus, Malpighium, Warthonum, Varolium, Verheyen, præcipueque Villiſium, qui contendit „ in cerebro imaginationem, memoriam, „ diſcurſum, aliosque ſuperiores „ actus functionis animalis peragi: „ item-

nervis, tum propter bonam qualitatem partium ſolidarum cerebrum, nervos, muſculosque conſtituentium ita ſe habent, ut objecta ſenſilia facile apprehendant, adeoque motus omnes conſueti ex voluntate queant facileque exerceri. Dormire autem dicitur quando voluntariæ mentis affectiones, ſpontaneique motus totius corporis ceſſant: Quod quidem ſenſim, pedetentimque fit, antequam ſomnus arctior mem-

„ itemque ab ipſo cerebro ſpiritus
„ animales in nervorum genus in-
„ fluere, quo motus quicumque
„ ſpontanei, quorum nempe con-
„ ſcii ſumus & arbitri, obeuntur.
„ Cerebelli autem officium eſſe ſpi-
„ ritus animales nervis quibusdam
„ ſuppeditare, quibus actiones in-
„ voluntariæ, cujusmodi ſunt cor-
„ dis pulſatio, reſpiratio, alimenti
„ concoctio, chyli protruſio, mul-
„ tæque aliæ, nobis inſciis atque
„ invitis, conſtanti ritu fiunt, &
„ peraguntur.

membra ſingula complectatur, & omnes corporis offecti ſenſus per membra quieſcant.

Principio quippe, aliquis ubi occipit dormitare, ſenſus eidem omnes interni externique paulatim obtunduntur: muſculi motus cientes primò in palpebris, facie, collo, brachiis, denique in univerſo corpore flacceſcunt quaſi & collabaſcunt: certo quodam pondere membra videntur omnia gravari.

* Interea tamen ſanguinis motus incitatur, humoresque celerius feruntur per vaſa ſanguinea cordique propiora, lentior per lateralia magis a corde remota, perque muſculos ex voluntate motus determinantes. Spiritus præterea procedente ſomno plenior redditur, ſubindeque omnia quæ juſta circulatione humorum, liberaque reſpiratione fiunt, melius cedunt: ſanguinis nempe perfectio, coctio, ſecretio, diſtributio,

* *Lege Herm. Boerhaave inſtit. medic. de œconom. animalis.*

 * per-

*perſpiratio, nutrimentum. Scire autem oportet, cum ſomnus inſtat, incipit, augetur, conſiſtit, decedit, varie reſpirationem, & motus humorum, cordis, pulmonum, arteriarum, viſcerumque cieri.

Somnus naturalis accedit quando a cerebro in nervos tanta copia ſpirituum non influit, quanta ad ſenſuum internorum & externorum voluntarias actiones exercendas requiritur. Idque forte contingit vel propter defectum ſubtiliſſimi ſpiritus magno longoque molimine perficiendi, quare tenuiſſima nervorum cerebri vaſa vix poſſunt inflari: vel propter preſſionem ſanguis craſſioris ad corticem cerebri, unde ſpirituum tranſitus ad medullam ejus im-

* Dormiens, ſeptem horarum ſpatio occulte, ſalubriter, & ſine violentia perſpirare ſolet duplo magis quam vigilans. *Sanctor. ſect. IV. aph. 3. de ſomno & vigilia.*

impeditur aliquo modo & retardatur.

Plane ſi quælibet cauſa interna vel externa incitet fluxum ſpirituum animalium per nervos cerebri, prohibetur ſomnus: acri namque quacunque vellicatione ſive à forti animi affectu, ſive a quavis alià ratione excitata cogitur homo vigilare.

Dormiens vero è ſomno excitatatur aut ſponte, aut ſenſu externo valide ab objecto excuſſo, vel ſenſifero incommodo a * ſtimulo excrementi facto, aut moleſtia ex nimia compreſſione partis, cui dormiens incumbit.

Scite igitur admodum & cate Sanctorius ſect. IV. de ſomno & vigilia

* Nulla cauſa ſæpius ſomnum interturbat, quam ciborum corruptela: id efficit quæ eſt inter ſtomachum & cerebrum ſympathia. *Sanctor. de ſomn. & vig. aph. 40.*

gilia aph. 8. „ quæ impediunt ſom-
„num impediunt quoque perſpiratio-
„nem cocti perſpirabilis. *Item ibidem*
„*aph. 9.* Somni breves fiunt ab acri-
„monia perſpirabilis retenti. Mox de-
„inde *aph. 10.* Acrimonia perſpirabilis
„retenti, vel ſæpiſſime petit caput,
„turbat ſomnum, & partium ſuperio-
„riorum perſpirationem divertit.

Hoc certe perpetuum eſt, a ſomno naturali placido, moderato, aciem ingenio, muſculis agilitatem, vires nervis redire. A ſomno e contra, ſomniferis præſertim medicamentis diutius protracto, caput grave, ſenſus hebetes, memoriam debilem, vires infirmas.

Quod ſi aliquis, cui noctu crebro ex pergefieri cum aliquo moleſtiæ ſenſu grave eſt, ſique non ita facile in ſomnum relabitur, auxilium ideo a medicina petit; non ſatis eſt medicum ſomni tantum interruptiones intueri, ſed magis totius corporis ha-

habitum debet conſiderare, ad eumque curationem dirigere, ne alii mali affectus interveniant: ſomnus quippe multifariam poteſt medicamentis allici. Sed etiam ſi caveatur ſervato modo, ne ſopor fiat, ſomnifera primum nervos ventriculi conſtipant, ſtuporemque iis quemdam inducunt, unde fallax ſimulatio ſomni oritur. In ſomno autem naturali nervi relaxantur ab exercitio quaſi * feriantes.

* *Vid. comment. ad aphor. 40. Sanct. ſect. IV. de vigil. & ſomno.*

Quæ vocant Ἀνώδυνα exhibere, niſi nimia neceſſitas urgeat, alienum eſt: „ſunt enim ex vehementibus „medicamentis & ſtomacho alienis, „quæque ad ſomnum valentiora, ea „ſtomacho pejora *Celſ. l. 5. c. 25.* „Aſclepiades vel inſanientibus qui„bus ſomnus difficilis & præcipue „neceſſarius dare ſomnifera recuſabat: quoniam in lethargum ſæpe convertunt. *Celſ. l. 3. c. 28.*

Relictis itaque ſolano, papavere, mandragora, cæterisque validis

ſomniferis, danda potius opera eſt, ut mente pacata, laſſitudine aliqua ab exercitatione parta, * potu liquoris vegetabilis ſtomachum roborantis, plenus ſomnus veniat. Opportuna certe abſtinentia, aqua, cibo opportuno adhibito, † porro, moro, lactuca æſtiva, cujus cauliculus lacte repletus eſt, acetariis, victuque illo nunquam ſatis laudato ** Pythagorico, poteſt obtineri, ut nihil acris a perſpirando retineatur, placideque ſomnò naturali moderato homo dormiat.

† *Celſ. l. 2. c. 32.*

CAP. XXII.

De ſanguine detractione per venas.

* *Celſ. l. 2. c. 10.*

* *SAnguinem, inciſa vena, mitti novum non eſt: ſed nullum pene morbum*

* Roborato ſtomacho ſemper ſomnus fit. Ibidem meminit vini, cydoniorum, allii, cinamomi ad ſomnum & perſpirationem alliciendam. *Sanctor. de ſomn. & vig. aph. 61.*

** *Antonius Cochi*, de victu pythagori-

bum eſſe, in quo non mittatur, novum eſt. Ad quas vero † cautas obſervationes diriguntur conſilia popularium medicorum, qui fere * ſemper in omni caſu, junioribus & ſenibus tum maribus tum fæminis, uterumque gerentibus omni †† ætate tam facile & tam crebro venam ſecari curant? Quod ſi materia deficiens lædit, ſi

 juve-

rico ad uſum medicinæ Opuſculum erudituſſimum Florentiæ edidit *primo an. 1743.*

† Nunquam temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur. *Cic. pro Marcell. c. 2.*

* Unde patet quanto humani generis damno, hoc remedium (ſcilicet venæ ſectio) vel ſemper, vel nunquam adhibendum cenſeatur. *Boerhaav. inſt. med. de method. med. aph. 1234. de phlebotome.*

†† Ætas viridis, adulta, præceps trifariam a *nonnullis* dividitur. Infantiam *alii*, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem & ſenectam omne tempus vitæ naturalis diſtriburum

juvenis imbecillus eſt, ſenior infirmus, aut gravida parum valet viribus, qua ratione perſuadent ſibi, hoc auxilii genus poſſe ſuſtinere? Imo cum ſanguinem per venas detrahere, negotium tam parvi momenti habeatur, ut primo vere anni tempore * ſaluberrimo, quando corpora liberius † perſpirant, plurimis, præſertim nobilibus id facere ſit conſuetudo, quæ plane non ſine

* *Hipp. aph.* 11. 9. *Celſ. l.* 2. *c.* 1.

† *Sanctor. de aere & aquis aph.* 42.

tum appellant. *Varro* quinque ætatis gradus deſignat. A primo uſque annumXV. pueros dictos vult quaſi puros, id eſt impuberes: ad annum XXX. adoleſcentes ab adoleſcendo: ad annum XL. juvenes quod in re militari poſſint juvare rempublicam: ad annum LX. ſeniores, quod tunc corpora ſeneſcere incipiant. Inde ad finem uſque vitæ ſenes, quia corpus jam ſenio laborat. *Alii* alia dixerunt. *Avicenna* ætatem pulchritudinis vocat mediam inter juventam & ſenectutem; quæ conſtans etiam ætas nuncupatur.

ſine humanæ naturæ detrimento in dies invaleſcit, ſequentes animadverſiones in miſſionem ſanguinis libro noſtro legendas adjecimus. Ita forte fieri poterit, ut nonnulli, etiamſi morbus ejusmodi remedium deſiderare videatur, ſolertius perpendant; poſſit nec ne ſupereſſe, quod vel puerum vel ſenem, vel in una muliere duo corpora ſimul ſuſtineat? valens corpus ſit an obeſum, tenue, an infirmum? tenuioribus enim magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat.

ANDROPHILI ASCLEPIADEI

ANIMADVERSIONES

IN MISSIONEM SANGUINIS.

ÆGgroto dum anima eſt ſpes eſt: hoc ſcilicet proverbio admonemur, nec in graviſſimis quidem morbis abjiciendam ſpem eſſe. Imo boni medici eſt temeraria quoque via periturum ægrum adjuvare: ſa-

tius eſt enim anceps auxilium experiri, quam nullum. Id maxime intelligi debet, inſcia vena ſanguinis etiam miſſionem tentari poſſe, ubi nulla ſpes, auxilium nullum aliud appareat.

I. Nullus eſt morbus, in quo ſanitas ex ſola miſſione ſanguinis certo promitti poſſit.

II. Multa caſu accidunt homini, cui ſanguis mittitur in revoluto curſu & derivatione humorum, quæ nec ſperari, nec prævideri poſſunt.

III. Revera ſola ſanguinis in vaſis diminutio ſanguinis miſſionem ſequitur.

IV. Non perinde, ſi ſecta vena liceret, ſalis, ſulphuris, bilis flavæ, aut atræ partem quæ ſuperat & nocet, extrahere: quippe ex iis, quæ in ſecunda valetudine modum ſervant, in adverſa aliquid vel ſuperat, vel deficit.

V. Si deficiens materia corpus infir-

firmat, minus roboris ægro ſubeſt; idcirco hoc auxilii genus male ſuſtinere poterit.

VI. In robuſto & infirmo cavendum, ne alio dato itinere, ſanguis ea parte, quam natura ſalutari criſi deſtinaverat, prorumpere prohibeatur.

VII. Nimium corporis calorem ſanguinis miſſione, mitigari, hoc quidem falſum eſt: * „*neque enim natura ſanguinis eſt, ut utique caleat: ſed ex his, quæ in homine ſunt, is celerrime vel caleſcit, vel refrigeſcit.*

* *Celſ. l. 4. c. 3.*

VIII. Fere tamen iſta medicina, ſi unquam aliquod levamen allatura medico non imperito videtur, die ſecundo, aut tertio adhibenda eſt. Nam poſt diem quartum materia ſuperans, quæ corpus lædit vel ipſo ſpatio exhauritur, vel corpus corrumpit.

IX. Tunc ſanguinem mittere nullatenus utile foret; imo potius male

le mitteretur : dum curantis præcipuum conſilium eſſe debet, ægrotantis vires quæ ſint æſtimare & cavere ne in corpore corrupto vis emoriatur, ſi qua ſuperſit, hoc modo erepta.

X. Naturæ viribus ſemper opus eſt non tantum ad morbum ſuperandum, ſed ad curationem ſuſtinendam.

XI. Sanguinis detractio corpus imbecillum, non integrum facere poteſt; vires enim hominis in ipſo ſanguine continentur.

XII. Corporis vis in quocunque morbi genere æſtimanda eſt : ſi materia ſuperans, an deficiens lædat, corpus corruptum an integrum.

XIII. In magnis morbis nulla alia tutior ſpes eſt, quam ut impetum morbi trahendo æger effugiat.

XIV.

XIV. Quod ſi alia via materia ſuperans detrahi poteſt, quare ſanguinis detractione demenda eſt?

XV. Illa profecto, ubi nihil novi accedit naturaliter digeritur, luce, vigilia.

Verum „ſi nullum appareat „aliud auxilium, perituruſque ſit „qui laborat, niſi temeraria quo„que via fuerit adjutus, in hoc ſta„tu boni medici eſt oſtendere, quam „nulla ſpes ſine ſanguinis detractio„ne ſit; faterique quantus in hac „ipſa re metus ſit: & tum demum, „ſi exigatur ſanguinem mittere. *Celſ.* „*l.* 2. *c.* 10.

Difficillimum eſſe venam ſecare, juncta cum ſit vena arteriis, his nervi: arteriamque inciſam neque coire, neque ſaneſcere: nervum ſi ſcalpellus attigit, nervorum diſtentionem ſequi, quæ hominem crudeliter conſumit. Mittendi præterea ſanguinis quantitatem non poſſe æſti-

æſtimari : ſanguinem interdum vehementer nimis erumpere : nonnullos ſanguinis fluxu defeciſſe ; præ timore dum vena incideretur aliquem mortuum : Ferme ineptiæ ſunt hæc & ſimilia. Peritus namque venam ab arteria ſecernit & internoſcit, facili negotio ſecat, nervos non lædit, quantitatem aſſequitur, ſanguinis fluxum ſupprimere ad libitum potis eſt. Dejectis vero animo vena non ſecetur, vel ſedulo moneantur, nihil ineſſe periculi, ut confidentiores fiant. Aliquis in venæſectione mortuus eſt ? & aquæ hauſtu alius quiſpiam extinctus ? num ab aquæ potu idcirco abſtinendum ? Futilia hæc & vana eſſe dicantur. Alia tamen diligentius inveſtiganda : ſcilicet an homines a morbo aliquo ſola ſanguinis miſſione certo reſtituantur ? an ſit unquam neceſſaria ? quid demum auxilii ægrotanti revera præſtare poſſit ?

Gal-

Galenus modo ſuadet ſanguinem mittere, ut minuatur nimium corporis robur : modo ſi graves, pigri fiant ægroti ob virium infirmitatem : in libro denique de plenitudine, vires nec augeri nec minui aucto, vel diminuto ſanguine, probare conatur.

IN morbis, ubi deficiens materia lædit, vel humores corrupti, ſanguinem mittere alienum eſſe omnes conſentiunt ; ne perindè ſcilicet vis emoriatur, quæſupereſt ad morbum ſuperandum & curationem ſuſtinendam. Nova ſi incidunt genera morborum, in quibus nihil adhuc uſus oſtendit cur hac, vel illa medicina potius utatur, cauſſas in obſcuro poſitas perſequendo nemo ſapiens, niſi deſperatis rebus, miſſionem ſanguis tentabit. At ſi copia male habet, ubi rubet corpus & callet, plenæque venæ tument : in humorum redundantia, ſi febris vehemens

mens urget, in inflammationibus nullo modo melius ſuccurri vulgo exiſtimatur. Pueris vero qui annum XIV. ætatis non attigerint, etiam ſi ſanguis in ipſis interdum abundet, ex ipſius Galeni ſententia non eſt detrahendus, quoniam multa diſſipant perſpirando copioſaque per halitum fit ipſis digeſtio.

Animadverſiones.

I. Corpora viventia quamvis nec deſidia, neque luxuria vitiata, ad ſenectutem ut perducantur, perpetua indigent evacuatione & additione.

II. Ignorari autem non oportet, in omni evacuatione & additione nihil decedere ſub forma, ſpecie, & natura ejus a quo fit deceſſio; nihilque addi ſub forma, ſpecie & natura ejus, ex quo fit additio.

III. Corpus, ex quo nihil omnino decedit vel mortuum, vel breviſſime morietur.

IV. Corpus vivens tum quia complures motus habet proprios ideo quia vivit: tum quia aliis quorum frequens uſus accidit, agitatur; atque atteritur, partium evacuationibus, translationibus, permutationibus, diſſolutionibus eſt continenter obnoxium. Proinde minime impediri poteſt, quin interitus & diſſipatio omnis corporis viventis aliquando conſequatur.

V. Alimentis opus non eſſet animalibus, ut vivant, niſi aliquid ab ipſis perpetuo efflueret. Aliud vero ambulando, aliud in quieta cogitatione, aliud reſpirando, aliud loquendo, aliud aliis vitæ functionibus abſumitur. Quæ omnia prout multis modis decedunt, ita multifariam reſtituuntur.

VI. Eodem tempore, quo quædam decedunt, alia addunturr eſtituentia illud idem, quod deceſſerat.

VII. Venæ, arteriæ, viſcera, inteſtina, totum corpus perpetuo perſpirat.

VIII. Evacuatio ſenſilibus quidem motibus fit haud magna copia, ſed occulte per inviſibilia foramina longe plenior & abundantior.

IX. Proinde copia redundans humorum aut nunquam fit aut cibo potuque diminuto, vel prorſus remoto paucas horas durabit.

X. Si quis comprehenderet quantum & quale, quibusque viis de toto corpore decedit, certo ſciret addere & auferre corpori neceſſaria pro ſanitate conſervanda & recuperanda.

XI. Corpus conſtituentia vivens, ſecunda valetudine proportionem aliquam

aliquam & modum ſervare debent; adverſa excedere & ſuperare eorum aliquid, vel deficere.

XII. Quando corpora viventium in morbos implicantur, ex celeberrimis antiquis medicæ artis Profeſſoribus † alius in humidis fieri vitium putavit, alius in ſolo ſanguine, alius in ſpiritu, alius in itinere clauſo corpuſculis per inviſibilia foramina manantibus.

XIII. Et ob hanc quidem opinionum diſcrepantiam liquet, medicinam plerumque in obſcuro poſitas morborum cauſſas perſequi: unde nemo poteſt adverſam valetudinem quidnam efficiat certo in omni morbo indicare.

XIV. Corporum rerumque naturalium ratione comperta, cauſæ quas medici abditas vocant, ignorantur.

† Herophilus. Eraſiſtratus. Hippocrates. Aſclepiades. *Vid. Celſ. in praf. lpr. lib.*

XV. Quis igitur dicat venæ ſectione ſatisfieri poſſe omni evacuationi, cujus indiget æger? cum corpus non ſolo ſanguine conſtituatur, nec plenitudo, inanitas, copia, inopia, augumen, defectus in ſolo ſanguine fiant.

XVI. Si in ſanguinem ſe inſinuant, vel ibi gignuntur particulæ quæ nocent & morbum creant, inciſa vena tantum detrahitur vitioſæ ſubſtantiæ, quantum permiſcetur illi portioni ſanguinis, quæ detrahitur: proinde major pars quæ remanet in corpore, particularum earundem nocentium majorem partem retinebit.

XVII. Itaque ex ſanguinis miſſione nihil neceſſario conſequitur præter ejusdem ſanguinis (qualiscunque ſit) in vaſis diminutionem.

XVIII. Juſta humorum circulatio, ex qua vita & ſanitas animalis, con-

turbari

turbari poteſt, tum propter vitium in vaſis ſubortum, tum propter vitiatos humores.

XIX. Si vitium in vaſis, etiam ſi oculum ſenſui ſubjaceat locus male affectus, propius vel remotius ab eo ſecetur vena, vitium haudquaquam tollitur.

XX. Si vaſa ſint criſpata, nimis flaccida, vel obſtructa circulationem æqualem interturbant. Miſſio vero ſanguinis criſpata non diſpandit, quia dempto humore minus diſtenduntur; flaccida non corroborat, quia potius corpus facit imbecillum; obſtructa non aperit, quia cum ſanguine non profluunt quæ impacta hærent, & obſtructionem gignunt.

XXI. Si vitium in ſanguine, vel excedit bilis flava, ut veteribus placuit, vel ſal aut ſulphur ex recentiorum opinione; non tamen liquet, in quo vaſe id quod nocet abundet,

ideo nec licet id ipſum nocens cum ſanguine detrahere.

XXII. Vena ſecta id exit liquidum, quod foramini ſcalpello facto magis proximum eſt.

XXIII. Quod ſi tenuiores particulæ & magis liquidæ, utpote mobiliores, majori copia effluant, reliquarum liquidarum minuetur quantitatis proportio, qua conveniant craſſis. Exinde poſituræ principiorum diſſolvi, motus vitales in ſanguine aliquo modo commutari poſſunt.

XXIV. Sed quia non commutari quidquam poteſt in homine ſine conciliatu primorum, cavendum, ne e primis viis in vacuas venas ſuccus trahatur, qui propter majorem quantitatem (inſolita evacuationis neceſſitate cogente) brevi ſpatio temporis avide attractam, non æque idoneus ſit, ut in humorem muneribus

ribus vitæ illius corporis ita congruum convertatur.

XXV. Quod ſi etiam reliquiæ ſanguinis vincant, inque ſuos vitales uſus novum ſuccum cujusvis qualitatis qualicunque copia introductum revocent, ex ſæpius iterata ſanguinis miſſione κρᾶσις, proportio ſcilicet primarum qualitatum in ſanguine non poterit non fieri deterior.

XXVI. Humores in vaſis ſanguineis contenti habeant, ut aliqui volunt tot portiones ſalis utriusque, tot ſulphuris, tot aquæ, terræ, & ſpiritus totidem: vel ex aliorum ſententia, bilis flavæ, melancholiæ, pituitæ, & quartæ cujusdam ſubſtantiæ aeri reſpondentis, quarum portionum aliqua modum non ſervet, excedat, corpus ægrotare faciat, licet ne venam ſecare ita, ut quod redundat noxium auferatur?

XXVII. Nimirum quia per venas

concluſa miſtim moventur, diffluuntque vaſis undique humores, nulla partium ſecretione ſanguis aperta vena effluet; præterea cum periculo, ne magis liquidis, tenuioribusque particulis dilapſis, craſſioribus mox præpollentibus vitales ſanguinis motus in ſuis principiis turbentur, atque in magnum aliquod malum evadant.

XXVIII. Quando particulæ aquoſæ, craſſæ, terreſtres in ſanguinis meatibus abundant, ſanguis tanquam vitæ theſaurus curari & conſervari debet.

XXIX. Vana eſſe de ſanguine judicia ex vario colore viridi aut flavo, liventi vel nigro, medici memoria digni non pauci judicarunt; imo etiam nihil referre an craſſus, viſcoſus, tenax, aquoſus, ſolidus magis vel minus videatur.

XXX. Helmontius affirmat ex

ſan-

ſanguine a medicis putrido dicto æque utilia medicamenta haberi, ac ex eo quem optimum vocant.

XXXI. Humorum denique abundantiam, vel ſanguinem rarefactum aut ferventiorem vaſa poſſe diſrumpere, res eſt quaſi impoſſibilis, niſi meatus alicujus anguſtia vel obſtructio, vel aliud quippiam in aliqua parte vitium inducat.

XXXII. Vaſa enim poſſe maxime diſtendi, perque ſuos ductus ſanguinem rarefactum effervеſcere, atque velocius ferri ſine vaſorum diſruptionis periculo, in vehementis febris impetu luculenter ſatis apparet. * „ In quo quidem impetu „ ſanguinem mittere hominem ju„ gulare eſt; „ quippe in ſtatu morbi, dum natura maxime occupatur, ſpiritus ſumme laborant, ſanguis injecto quaſi fermento, turgens rareſcit, magnus fit nixus ad criſim, qui neutiquam perturbari debet.

* Celſ. l. 2. c. 10.

XXXIII. In febris vero remiſſione vel natura victrix tali non indiget ſubſidio, vel victa nova ſanguinis miſſione conſternata, magis adeoque debilis celerius peſſum ibit.

Quare in acutis etiam morbis qui non infirmitate ſed onere nocent, ſanguinem mittere nullum auxilium certum ægris promittit. Primo quia neſcitur quali natura egeat evacuatione. Secta deinde vena quia ſanguis non corrigitur neque in meliorem mutatur, ſed idem quantitate minor in vaſis remanet, niſi particulæ magis liquidæ majori copia effluxerint. Tertio tandem quia quæ poſt ſanguinis miſſionem a primis viis ſanguini adduntur, ſolito minori ſanguinis quantitati permiſcentur, perinde dubium an in humores æque ad munera vitæ & ſanationis idoneos convertantur.

Caſu,

Caſu, fortuna, vel animi affectu improviſo aliquo tam in meliorem, quam in deteriorem ſanguis, inciſa vena, poteſt mutari. Quis vero prudens omnibus niſi alii deſperatis auxiliis medicinam adeo † periculoſam tentabit? Quumque multum e ſanguine continenter decedat ſpecie ſudoris, lacrimarum, ſputi, muci, furfuris, pinguedinis, inſenſibili perſpiratione conſiderata, materia ſuperans abſque dubio continuo minuitur, quæ naturaliter digeritur, ubi nihil novi accedit. Igitur brevi tempore plenitudine laboranti multum detrahitur abſtinentia: * „ eaque ſola ſine ullo periculo morbis medetur. * *Celſ. l. 3. c. 3.*

Occur-

† Si omnia membra vehementer reſoluta ſint ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat. *Celſ. l. 3. c. 27.*

OCcurrere morbis aliqui, ſi non mederi, ſanguinem protinus inter morborum initia mittendo, falſo putant: neque enim ullo modo affirmari poteſt prodeſſe magis quam obeſſe, quum tam multæ atque tam variæ in morbis, ex varia ægrotantium natura, fiant neceſſitates ſecernendi & excernendi, vel addendi & reſtituendi. Certum quippe eſt prout corpus a corpore temperatura differt, ita in morbis quæ accidunt, in unoquoque variare. Qua igitur certa ratione dignoſcet aliquis, ingruentium morborum impetus quo molimento natura potiſſimum fallere aut ſuperare conetur? Et ſi rationalis medicina, ut Celſus in primi libri præfatione ſcriptum reliquit, inſtrui debet ab evidentibus cauſſis obſcuris omnibus rejectis, non apparet, inter initia morborum ſanguinem mittere, certam eſſe morbis occurrendi rationem. Hoc vero ex * Hippocratis, Aſclepiadis, Celſi, aliorum-

* Hipp. de vet. M. T. XV. n. 10.

rumque celeberrimorum virorum ſententia, perpetuum eſt „ initia „ morborum primum famem, ſi„ timque deſiderare. Neque ul„ lam rem magis adjuvare laboran„ tem, quam tempeſtivam abſti„ nentiam.

An vero in ipſo inflammationis initio, incremento, vel ſtatu venam incidere aliquod auxilium præſtare poſſit, facile perſpicuum erit attente conſideranti quænam ſint inflammationis cauſæ, magnaque ſolertia diſquirenti, num rationali conjectura præſumere liceat, ſanguinis detractione detrahi id, quod pars affecta detrahi expoſcit?

Animadverſiones.

I. Quatuor ſunt inflammationis notæ: rubor, & tumor cum dolore & calore: addita mutatione ſeu motu celeri, ut aliquibus placet.

II.

II. Itaque ſequitur, ſanguinis vel aliarum ſubſtantiarum vitio fieri alicubi obſtructionem in vaſis: quia ſi particulæ aliquot aceſcant, & infigantur ut ſpina, vel craſſæ coeant, libereque humorum circulationi reluctentur, tumorem cum rubore, dolorem cum calore excitant.

III. Meatibus vel poris aliquot occluſis, tumet pars illa ex glutinoſis particulis inibi hærentibus. Rubet quia ſanguis minus libere illac potis permeare quodammodo ſtagnat, ipſaque mora ſubſidendo translucet. Dolet propter reſiſtentiam, quæ fit juſtæ & liberæ humorum circulationi: Calet denique, quia natura omni nixu vehementius in gyrum humores rapiens, obſtacula, quæ vitium coagmentavit diſſolvere conatur, ideoque ſanguis omnis efferveſcit.

IV. Lucta proinde oritur inter ea, quæ circulationi humorum ubi fit in-

inflammatio, reſiſtunt, illaſque ſubſtantias, quæ velocius in gyrum propelluntur: atque ex ea contentione partium diſtentio & dolor in motu celeri cum pulſatione.

V. Motus igitur celer & lentor in inflammatione concurrunt. Lentor ubi particulæ coeunt vel impinguntur; motus celer ſanguinis in reliquis vaſis efferveſcentis.

VI. Plenitudinem in univerſo corpore ad inflammationem creandam non requiri manifeſtum eſt: in ſtatu vero inflammationis aliquam in loco affecto fieri plenitudinem non dubitandum propter circulationem inæqualem, ibi enim identidem impeditur.

VII. Sed miſſio ſanguinis lentori non medetur, quia non aufert particulas craſſas, vel glutinoſas ſub tumore coactas. Efferveſcentiam ſi minuit, ignavum magis reddet ſanguinem & effœtum ad reſolutiones

&

& ſuppurationes ; unde ſequitur disruptio ac ſeparatio ejus quod alienum eſt.

VIII. Nihil prodeſt omnis artis induſtria ſine ſanguinis circulatione. Verum cum circulatio omnium, quæ in vaſis invicem communicantibus continentur, multiplici ratione inflammationis cauſas corrigere & emendare poſſit, non liquet quomodo miſſio ſanguinis, quæ vires ſemper minuit, adjumento ſit naturæ in repetitis circuitionibus & ſeparationibus quæ in glandulis, aliisque partibus fiunt. Imo potius videtur natura poſſe in ſalutari conatu demtis viribus perturbari.

IX. Quod ſi etiam viris credat aliquis abundare; cordis motum & circulationem humorum ſequuntur partium deceſſio, tranſpiratio, & diſſipatio: Sanguinis itaque adeoque virium copia, eſca & potione ſublata, brevi decreſcet detumeſcen-

centibus vaſis quantum ad naturæ levamen ſit ſatis.

X. Additiones & detractiones, quæ paulatim fiunt naturæ agendi ritui ſunt magis conſentaneæ.

XI. Si natura id quod inflammationem facit ea parte expellat, quæ tumore affecta propter virium imbecillitatem minus reſiſtit, cum ſelectione id tantum, quod nocet vel nocere poteſt ſecernit & exigit.

XII. Inciſa autem vena non detrahitur id, quod tumorem & obſtructionem producit in inflammatione, etiamſi tumorem propius incidatur: fluidum nempe non eſt quod partem afficit & duritiem creat.

XIII. Quæ pars ut detumeſcat & ſanetur, illud quod ibi conſiſtit impactum, acre, glutinoſum, nocens auferendum eſt.

XIV. Sed quum plerumque lo-

çus tumoris commodus eſt ad mutationes ſalutares, utpote a natura determinatus, igne ſæpe & ferro, ſi ſub aſpectum cadit debet aperiri quando ſolicitari medicamentis ſatis non poſſit, ut educatur præterea omne id quod e vaſis minoribus effluens, eque fibris loci ſtillans coagulatum putreſcit.

XV. Igitur talis disruptio videtur non eſſe impedienda miſſione ſanguinis, quæ profecto magis erit aliena ſi humores in vaſis ignavi ſint & effœti.

XVI. Quin imo febrilis ipſe ſanguinis fervor, ſive rarefactio melius poteſt inflammationi mederi: veloci ſcilicet impetu particulas illas craſſiores, & glutinoſas ſolvendo vel alio trahendo. Quod facilius contingere poteſt, quia ſine intermiſſione tumor agitatus, atque pulſatus incurſione ſempiterna diſrumpitur.

XVII

XVII. Aperte itaque apparet, ſecta vena, non effluere quod aceſcens glutinoſum, denſum, coagulatum tumorem excitat, meatus obſtruit, dolorem ciet, inflammationem facit.

XVIII. Sanguinis diminutio vel ejus fervor ſedatus quare potius juvare quam nocere poſſit non liquet. Alioquin videtur perperam ſæpius imprudenterque deſiderari; quia naturæ nixum ad ſalutarem criſim turbare atque impedire poteſt.

XIX. Cur igitur ſanguinem in inflammationibus mittere? Nimirum ne forte diſrumpantur vaſa? ſed venarum tunicæ tam commodè cedunt & reſiſtunt, ut in illis nunquam humores, dum fluunt, extra modum poſſint abundare. Quod ſi aliqua fiat plenitudo, alimentis remotis, ſemperque aliquibus naturaliter decedentibus, nullis vero in

eorum locum ſubeuntibus, brevi ceſſabit.

XX. Tamen inquit aliquis, in abditiſſimis venarum ſeu arteriarum ductibus gignitur aliquando quidpiam violentiſſime acidum, *gas ſilveſtre*, cujus violentiæ nec vas æneum reſiſtere potis eſt, quin disrumpatur.

XXI. Illud ſi aderit acidiſſimum excogitatum atque violentiſſimum vaſa certe diſrumpentur, antequam chirurgus arceſſiri, ne dum adeſſe queat.

XXII. Aſſula vel ariſta digito infixa cauſa poteſt eſſe inflammationis: mole quidem minimum quod inflammationem vaſa obſtruendo creat. Illud vero illud minimum depellendum, illud ipſum diſſolvendum, aut in aliud vertendum, ſive extrahendum.

CXXXIII

Secus, dum inflammationis cauſa, nulla rationali conjectura, ſectione venæ ſubtrahitur, judicent ſapientes, an ſanguinem mittere ſit inflammationem curare?